

Liber Sancte Trinitatis, Dublin.

A. *KL* Januarij. Ianuarius habet dies xxx^a. Luna xxx^a.
Octaue Domini. Rome; natalis sancti Almachii martiris, qui iubente Alipio urbis profecto, cum diceret, hodie octaue dominice diei sunt, cessate a superstitionibus idolorum et sacrificiis pollutis a gladiatoribus, hac de causa occisus est. Item Rome; sancte Martine uirginis et martiris. Eodem die, apud Spoletum; ciuitatem Tuscie; sancti Concordii martiris, temporibus Antonini imperatoris. Apud Affricam; natalis sancti Fulgentii episcopi et confessoris. Apud Alexandriam; sancte Eufrosine uirginis. In territorio Lugdunensi monasterio Uirensium; sancti Eugandi Abbatis cuius uita uirtutibus et miraculis plena refulsit. Eodem die; sanctissimi Paragoda septimi Uiennensis episcopi.

iiii. Non. Januarij.

B. Natale sancti Macharii abbatis. Et in Ponto ciuitate Chomis; trium fratrum, Argei, Marcisci et Marcellini pueri, qui sub Cilinio inter tyrones coprehensi, cum nollent militare cesi ad mortem, et diu in carcere macerati, in mare mersi, martyrium consummauerunt.

iii. Non. Januarij.

C. Rome; natalis sancti Anteros pape et martiris, qui uicesimus post beatum Petrum cum duodecim annis, mense uno, diebus duodecim rexisset ecclesiam, passus est sub Maximiano, et in cimiterio Calixti sepultus uia Appia. Apud Parisium; sancte Genofeue uirginis, que a beato Germano Autisodorensi episcopo Christo dicata, admirandis uirtutibus et miraculis late claruit; et usque ad octoginta

octoginta annos in Christi seruitute consenuit. Eodem die; sancti Florentii Uionensis episcopi et martiris, octauis eiusdem urbis.

iv. Non. Januarij.

- D.** Natalis sancti Titi apostolorum discipuli. Apud Affricam; natalis sanctorum Aquilini, Gemini, Eugentii, Marciani, Quinti, Theodoti, Triponis; preclarissimorum martirum quorum gesta habentur. Eodem die, apud urbem Romam; sanctorum martiris Prisci presbiteri et Priscilliani clerici, atque Benedicte religiosissime femine, sub tempore Juliani impisimi Augusti, qui gladio martyrium compleuerunt. Item apud Romam; beate Dafrose uxoris Fabiani martyris, que post dampnationem beati uiri sui primum religata exilio, deinde ab impio Juliano capite iussa est puniri.

Non. Januarij.

- E.** Rome; Natale sancti Thelespori, qui septimus post Petrum apostolum pontifex ordinatus sedet annos undecim, menses tres, dies uiginti unum. Hic constituit ut septem ebdomadibus ante pascha ieiunium celebraretur; et natali domini nostri Jhesu Christi nocte misse celebrarentur, et ymprimis angelicus, id est, gloria in excelsis Deo, hora sacrificii misse diceretur, illustreque martyrium duxit. Item apud Antiochiam; depositio sancti Symeonis monachi et confessoris, admirandi uirtutis uiri, qui stetit in columpna.

viij. Idus Januarij.

- F.** Epiphania Domini. Eodem die; sancte Macre uirginis. Quam cum Riciouarus preses torqueri et in ignem precipitari iussisset, illesa permansit. Deinde mamillas abscisis et squalore carceris afflicta, sub testas accutissimas et prunas uolutata, orans migravit ad dominum.

viij. Id. Januarij.

- Gr. Relatio pueri ex Egipto; et natalis sancti Luciani Antiochene ecclesie presbiteri et martiris uiri doctissimi atque eloquentissimi. Qui passus Nichomedie ob confessionem Christi sub persecutione Maximini, sepultusque Helenopoli Bitinie. Item apud Antiochiam; beati Cleri diaconi et martiris.

vi. Id. Januarij.

- A. Neapolim Campanie; sancti confessoris Seuerini fratris beatissimi Uictorini clarissimi uiri in miraculis. Qui et ipse fratris imitator post multarum uirtutum preparationem sanctitate plenus in Christo quieuit. Beluaci; sanctorum Luciani et Messiani. Metis ciuitate; depositio sancti Patientis episcopi et confessoris.

v. Id. Januarij.

- B. In Maritania Cesariensi; natalis sancti Martiane uirginis et martiris. Eodem die, apud Antiochiam; sancti Iuliani martiris, et Basilissa coniugis eius. Hi itaque casti coniuges, sanctissimo uoto aliquot annos pariter uixerunt. Carnem suam uirginem seruantes. Monasteria autem de rebus suis, quia erant parentibus et genere clarissimi, instituerunt, ut ad decem milia monachorum pater beatus Iulianus fieret: Basilissa uero multarum uirginum mater. Quarum multitudinem cum iam uictricem premisisset ad dominum ipsa post multa exercicia sanctarum uirtutum in pace quieuit. Iulianus uero diu a Marciano preside tortus iubente eo a militibus gladio cesus est, cum Celso puero supradicti presidis filio. Eodem die; Antonii et Anastasii, martirum, cum Marcionilla martire uxore præsidis. Et apud Hiberniam; Felan ad Christum migravit.

iii. Id. Januarij.

- Ⓒ. Apud Tebaidem; natale sancti Pauli primi heremite, qui a quinto decimo etatis sue anno, usque ad centesimum tertium, solus in heremo permansit. Cuius animam inter Apostolorum et prophetarum choros ad celum ferri ab angelis Antonius vidit. Sancti Igini pape et confessoris qui sedit Rome annos quatuor. Apud Cyprum; beati Nicanoris qui unus fuit de septem primis diacombus.

ii. Id. Januarij.

- Ⓓ. Apud Alexandriam; natalis sanctorum confessorum Petri, Seuerini, Leucii, quorum gestah abentur. In Affrica; natalis sancti Siluani. In huius natali sanctus Augustinus uerbum fecit ad populum Cartagini.

i. Id. Januarij.

- Ⓔ. Apud Achaiam; natale sancti Saturi martiris, ciuis Arabie. Qui transiens ante quoddam ydolum cum sufflasset illud, signans sibi frontem statim corruit. Ob quam causam decollatus est. Eodem die; natale sancti Archadii martiris genere et miraculis clari.

Idus Januarij.

- Ⓕ. Rome uia Lauicana; corone militum quadraginta sub Gallieno imperatore. Pictauis; sancti Hilarii episcopi et confessoris. Qui ob catholicam fidem quadriennio apud Frigiam religatus; inter alias uirtutes fertur, quod mortuum suscitauerit. Apud Uiennam; sancti Seueri episcopi, qui precedit ecclesie post sanctum Euentium. Remis; sancti Remisii episcopi et confessoris.

xix. Kal. Februarij.

¶. Apud Nolum Campanie; beati Felicis presbyteri et confessoris. Hic a Maximiano Nolane urbis episcopo presbiterii honore prelatatus est. Qui tempore persecutionis pro Christi nomine multa sustinens cessante postea persecutione, dominica die apud Nolum misteriis confectis data pace omnibus se in pavementum oraturus proiecit. Mox beati uiri anima de carnis ergastulo egressa, post grauia pro Christo tormenta que pacienter tolerat, felicia regna ipse uere felix conscendit. Sepultus est iuxta urbem in loco qui dicitur pincis; ubi claris semper fulget uirtutibus.

xviii. Kal. Februarij.

¶. Abacuc et Michee prophetarum. Quorum corpora sub Archadio imperatore diuina reuelatione reperta sunt. Item in Egipto; beati Macharii abbatis, discipuli beati Antonii, uita et miraculis celeberrimi. Item beati Ysodori, in sanctitate uite, fide ac miraculis preclari. Apud Bituricas ciuitatem; translatio sancti Sulpicij episcopi et confessoris. Eodem die; natalis sancti Mauri abbatis, discipuli sancti Benedicti abbatis. Ciuitate Auernis; Bonicij episcopi et confessoris.

xvii. Kal. Februarij.

¶. Rome uia Salaria in cimiterio Priscille; natalis sancti Marcelli pape et martiris, qui sub Maximiano primo fustibus cesus, deinde custodia puplica deputatus, multos annos cilicio indutus ibidem defunctus est. Arelaten; sancti Honorati episcopi. Cuius uita doctrina et miraculis illustris refulsit. Eodem die; natalis sancti Fursei confessoris atque abbatis.

xvi. Kal. Februarij.

C. In Egipto apud Thebaidem; beati Antonij monachi, qui multorum monachorum pater uita uenerabili preclarissimus uixit. Consummatoque cursu, feliciter in pace quieuit. Cuius corpus sub Iustiniano imperatore diuina reuelatione repertum, Alexandriam delatum est; et in ecclesia beati Johannis Baptiste humatum. Lingonas; natalis sanctorum geminorum, Speusippi, Eleusippi, et Meleusippi. Qui cum essent uiginti quinque annorum cum auia sua Leonilla, et Ionilla, et Neone, martirio coronati sunt, tempore Aureliani imperatoris.

xv. Kal. Februarij.

D. Cathedra sancti Petri apostoli; qua primum Rome sedit. Eodem die; natalis sancte Prisce uirginis et martiris. Et in Ponto; natalis sanctorum martirum, Mosei et Ammonii.

xiiii. Kal. Februarij.

E. In Smirna; natalis sancti Germanici martiris. Qui cum primeue etatis uenustate floreret per gratiam uirtutis dei motum corporee fragilitatis excludens, sponte preparatam bestiam dampnatus a iudice iam prouocauit, cuius dentibus comminutus, uero pani id est Christo pro ipso moriens meruit incorporari. Eodem die; sancti Pontiani martiris, apud Spoletum; temporibus Antonini imperatoris, sub iudice Fabiano. Item eodem die, Rome; sanctorum martirum Marij et Marthe, cum filijs suis Audifax et Abacuc nobilium depresidia. Et apud Wigorniam; sancti Wlstani episcopi et confessoris.

xiii. Kal. Februarij.

F. Rome; Fabiani episcopi. Qui cum uiginti quinque annis ecclesie preesset, passus martirium tempore Decij; et in cimiterio Calixti sepultus

sepultus. Eodem die; natalis sancti Sebastiani de Mediolano, qui intantum carus erat imperatoribus, Deocliciano et Maximiano, ut principatum ei prime cohortis traderent. Quem Dioclicianus ubi Christianum esse cognouit, nec a fide posse reuocari; iussit ligari in medio quasi lignum ad sagittandum, et sagittari a militibus. Qui cum sagittis plenus, quasi eritius, staret, putantes eum mortuum abierunt. Nocte autem ueniens quedam mulier nomine Herena tollere corpus, inuenit eum uiuentem, et adduxit eum in domum suam, et curam eius egit. Qui ubi conualuit, multos in fide confortauit. Nec mora ipsis imperatoribus apparens hos prout digni erant corripuit. Tunc iussit eum Dioclicianus in ippodromium palatii duci et fustigari donec deficeret. Quem mortuum in cloacam maximam miserunt. Sed illa apparuit in sompnis sancte matrone Lucine dicens; iuxta circuminuenies corpus meum pendens in unco hoc sordes non tangerunt. Et dum leuaueris perducas ad catacumbas, et sepelies me in cripta iuxta uestigia apostolorum. Que ipsa nocte ueniens cum seruis, totum ita compleuit.

xij. Kal. Februarij.

¶. Rome; natalis sancte Agnetis. Que sub prefecto urbis Simphrono ignibus iniecta sed hiis per oracionem eius extinctis gladio percussa est. Item apud Athenas; beati Publii episcopi ob Christum martirio coronati. Et in Hispaniis ciuitate Terragone; natale sanctorum Fructuosi episcopi, Augurii et Eulogii, dianorum. Qui temporibus Gallieni sub Emiliano preside, martirio coronati sunt. Treceas; passio sancti Patrocli martiris.

xi. Kal. Februarij.

¶. In Hispaniis; sancti Uicentii diaconi. Qui sub impio Daciano multa passus, martyrio meruit coronari. Ipso die, in Gallis ciuitate

tate Ebreduno; sanctorum martirum Uincentii, Orontii, et Uictoris. Ad aquas Saluinas; natales sancti Anastasii monachi et martiris de Perside. Qui post plurima tormenta carceris, uerberum et uinculorum, que in Cesarea Palestine perpesus fuerat, a Persis postremo in Perside multis penis affectus atque ad ultimum decollatus est, a rege eorum Chore, cum aliis septuaginta. Reliquie corporis eius prius Herosolimis ad monasterium suum, deinde Romam delate, uenerantur in monasterio beati Pauli apostoli, qui dicitur ad aquas Saluinas.

x. Kal. Februarij.

B. Rome; natalis sancte Emerentiane uirginis Christi et martiris, que fuit collactanea sancte Agnetis. Dum enim oraret ad sepulchrum eius, a gentibus lapidata est. Et in Mauritania ciuitate Neocesaree; natalis sancti Seueriani, et Aquile uxoris eius, ignibus combustorum. Apud Philippis; beati Parmene diaconi, qui unus fuit de septem diaconibus.

ix. Kal. Februarij.

C. Apud Ephesum; natale sancti Timothei apostoli. Apud Antiochiam; sancti Babili episcopi persecutione Decii, postea quam frequenter passionibus suis et cruciatibus glorificauerat Dominum, gloriose uite finem est sortitus in uinculis. Neocesarea ciuitate; natale sanctorum martirum Mardonii, Mosoni, Eugenii, Melliti. Qui omnes igni traditi sunt, et reliquie eorum in Axum fluuium disperse.

viii. Kal. Februarij.

D. Conuersio sancti Pauli. Eodem die; sancti Ananie apud Damascum, qui beatum Paulum baptizauit. Apud Gabanensem ciuitatem;

tem; sancti Seuerini episcopi; admirande sanctitatis, et doctrina uiri. Item natale sancti Preiecti Aruennensis episcopi et martiris.

viij. Kal. Februarij.

- C.** Natalis sancti Policarpi martiris. Qui beati Johannis apostoli discipulus, et ab eo Smirme episcopus ordinatus, tocius Asye princeps fuit. Postea uero ob Cristi amore multa perpressus ab inimicis catholice fidei; ad ultimum martirio uitam finiuit. Eodem die; natale sanctorum martirum Theogenis, cum aliis triginta sex. Item apud Bituricam ciuitatem; beati Sulpiti confessoris.

vi. Kal. Februarij.

- f.** Natale sancti Johannis episcopi Constantinopolitani qui Crisostomus appellatur. Item beati Mauri abbatis monasterij Badonensis. cuius uitam plenam uirtutibus uir illustris ac Patricius Dinamius scribit. Et apud Bethleem Iude; dormitio beate Paule matris Eustochie uirginis Cristi.

v. Kal. Februarij.

- C.** Natale sancte Agnetis secundo a natiuitate. Ex in ciuitate Apollonia; Leucii, Tyrsi, Calenici martirum. Qui tempore Decii imperatoris, supresidibus Combritio, Siluano, et Baudo, diuersis tormentorum generibus excruciat, martirium consummauerunt. Eodem die, apud Alexandriam; beati Cyrilli episcopi et confessoris.

iiij. Kal. Februarij.

- A.** Rome; natalis sanctorum Papie, et Mauri militum, tempore Diocliciani. Qui uidentes constantiam Saturnini et Sisinnii, martirum, conuersi sunt ad fidem. Statimque iussum est a Laoditio prefecto urbis,

urbis, ut os eorum quo Christum confitebantur lapidibus contunderetur, et diu plumbatis cesi exspirauerunt. Eodem die, Treueris; depositio sancti Ualeri episcopi, discipuli sancti Petri apostoli.

iii. Kal. Februarii.

B. Apud Antiochiam; passio sancti Ypoliti martiris. Jerosolimis; Mathie episcopi, de quo mira et plena fide gesta narrantur. Qui multa pro Christo peressus, ultimo in pace uitam finiuit. Item beati Alexandri martiris, tempore Decii passi. Eodem die; dormitio sancte Batildis uirginis.

ii. Kal. Februarii.

C. Apud Alexandriam; natalis sancti Metrani martiris. Quem pagani correptum iubent impia uerba proferre. Quod illo recusante, post multos cruciatus lapidibus eum obruerunt. Item Saturnini, Tyrsi, et Uictoris. Eodem die, apud Trientinam urbem; beati Uigilii episcopi et martiris. Eodem die; sancti Edani episcopi.

Kal. Februarii.

D. Apud Antiochiam; passio sancti Ignatii episcopi. Apud Smirnam; sancti Pionii martiris. Qui persecutione Antonii Ueri, post insuperabilem responsionum constantiam ad ultimum ardenti rogo super positus, beate uite adqueiuit. Eodem die; Effrem Edessene ecclesie diaconi. Item apud Hiberniam; dormitio beate uirginis Brigide ueneranter hoc die commemorata. Que post signa et miracula, post opera clara misericordie et elemosinarum; post humilitatem puram et benevolentiam deo deuotam, et post exemplum ceteris uirginibus castimonie et sanctitatis ut breuiter dicam; ad Christum cuius ob amorem hec omnia compleuit in opere, inter angelicos choros uecta migravit. Si enim larga ipsius prefate

prefate uirginis opera cartis inserere uoluisssem, proprii uoluminis eguisset solentia. Eodem die; sancti Pauli episcopi et confessoris ciuitatis Castrine.

Quarto Nonas Februarij.

- C.** Purificatio sancte Marie. Apud Ceseream; Cornelii centurionis. Quem beatus Petrus baptizauit. Qui apud prefatam urbem episcopi honore sublimatus quieuit. Eodem die, Rome; sancti Pro-niani martiris. Qui persecutione Maximiani imperatoris multa perpressus, uia salaria militario secundo, ad ultimum capite truncatus.

iii. Non. Februarij.

- F.** In Affrica; beati Celerini diaconi et confessoris, et sanctorum martirum, Celerine auie eius, et Laurentini et Ignatii. Eodem die; natale sancti Blasii, episcopi et martiris. Uienna; sancti Euentii episcopi gloriosi. Ipso die; sancte Wereburge uirginis.

ij. Non. Februarij.

- G.** In ciuitate Egipti que appellatur Thimiis; passio beati Philee eiusdem urbis episcopi, et Filoromi tribuni militum Romanorum. Cum quibus eciam innumera multitudo fidelium ex eadem urbe pastoris sui uestigia sequens, persecutione Diocliciani martirio coronata est.

Nonas Februarij.

- A.** Apud Siciliam ciuitatem Catanensium; passio sancte Agathe uirginis, sub Decio imperatore pro consule Quintiano. Que post alapas et carcerem, post eculeum et tortiones, post mamillarum abscisionem, sed a Domino sanationem, post uolutionem in testulis,

et carbonibus, tandem in carcere consummata est. Vienne; Auiti episcopi et confessoris.

viij. Idus Februarij.

- B.** Apud Ceseream Cappadotie; natale sancte Dorothee uirginis. Que sub prouintie ipsius preside, primum eculei extensione uexata; deinde palmis diutissime cesa; ad ultimum capitali sententia punita est. Passus est et eciam cum ea Theophilus scolasticus. Eodem die; sancti Antholiani. Qui apud urbem Rauennam martirio coronatus est. Ipso die; episcopus Mel. Eodem die; transportatio reliquiarum sancti Pantaleonis et Quirini martyrum. Item ipso die; sanctorum episcoporum Uedasti et Amandi.

viij. Id. Februarij.

- C.** In Britannis ciuitate Augusta; sancti Augulii episcopi et martiris. Item sancti Moysetis uenerabilis episcopi, qui primo quidem in heremo uitam solitariam ducens, meritis et uirtutibus ac signis que faciebat, pro illum Deus magnifice innotuerat. Qui post modum petente Auia, Sarrocenorum regina, episcopus ordinatus est gentis illius, fidei catholice custodiuit intemerata consortia, et gentem cui datus fuerat episcopus, ex grandi parte ad fidem Cristi conuertit, sicque in pace perfectus in uirtutibus quieuit.

vi. Id. Februarij.

- D.** Apud Armeniam minorem; natalis sanctorum Dionisii, Emiliani, et Sebastiani. Eodem die, apud Alexandriam; natale sancte Corinthe martiris. Hanc pagani correptam ad idola perducentes adorare cogebant. Que cum illa excrants recusauit, uinculis pedes eius innectentes, et per plateas totius ciuitatis eam trahentes, horrendo supplicio discerpserunt.

b. Id. Februarij.

- Ⓒ. Apud Alexandriam; sancte Apollonie uirginis. Cui persecutores omnes primum dentes excesserunt; deinde constructo ac succenso rogo, cum minarentur uiuam se cam incensuros, nisi cum eis impia uerba proferret; illa paululum quod intra semetipsam deliberrans, repente se de manibus impiorum prorupit, et in ignem quem minabantur sponte prosiluit.

iii. Id. Februarij.

- Ⓕ. Rome; natale sanctorum martyrum Zotici, Hirenci, Iacincti, et Amantii. Eodem die, in oriente; sancte Sotheris uirginis. Que grauiter et diutissime alapis cesa, cum cetera quoque penarum genera uicisset, gladio martirium consummauit. Item Rome; uia Lauicana; militum decem. Eodem die; sancte Scolastice uirginis. Item Radegundis uirginis.

ii. Id. Februarij.

- Ⓖ. Apud Uiennam; sancti Simplicidis episcopi et confessoris. Item apud Alexandrinam; depositio sancte Eufrasie uirginis. Que in monasterio mira uirtute abstinentie, et miraculis eciam claruit. Eodem die; episcopi Etchani.

i. Id. Februarij.

- Ⓐ. In Hispaniis ciuitate Barcinone; natalis sancte Eulalie uirginis et martiris. Que passa est tempore Diocliciani imperatoris, sub prefecto Hispaniarum Datiano: quando sub eodem apud Barcinonem sanctum Cucufatum, et apud Gerundam sanctum Felicem, gloriosi constat martirii accepisse coronas. Scriptum in passione sancte Leochadie. Et Alexandriam; Modestii Ammonii infantum.

Idus Februarij.

- B.** Natalis Agabi prophete in nouo testamento. Apud Antiochiam; Gregorii pape qui rexit ecclesiam annos xvi., Leonis et Constantini imperatorum tempore. In Militania ciuitate Armenie; sancti Poliocti martiris qui Latine interpretatur multum orans. •

xvi. Kal. Martij.

- C.** Rome; natalis sancti Ualentini presbiteri. Qui post multa sanitatum et doctrine insignia, fustibus cesus et decollatus est, sub Claudio Cesare. Eodem die; natalis sancti Ualentini Interamensis episcopi et martiris. Et apud Alexandriam; natalis sanctorum martirum Bassi, Antoni, Protholici, qui in mare mersi sunt. Item Cyrionis presbiteri Moseos, Bassiani lectoris, Agathonis exorciste. Qui omnes igni combusti sunt. Item Dionisii, Ammonii decollatorum. Eodem die; sanctorum martirum Uitalis, Felicula, et Zenonis.

xv. Kal. Martij.

- D.** Rome; sancti Cratonis martiris. Qui uiso miraculo de sermone filio suo reddita scilicet sanitate, oracione scilicet beati Ualentini episcopi, mox baptizatus cum omni domo sua; non post multos dies martyrio est consummatus. Et apud Sebastem ciuitatem; passio sancti Blaui episcopi; cum duobus pueris capite cesi. Et septem mulierum, que guttas sanguinis eius preter fluentes de beatissimis plagis corporis ipsius colligebant, deprehense quod essent Christiane, gladio sunt percusse. In Gallis ciuitate Uasionense; depositio Quinodii episcopi et confessoris.

xiiii. Kal. Martij.

- E.** Natalis sancti Onesimi apostoli. Et Cumis; sancte Iuliane uirginis. Que, tempore Maximiani imperatoris, primo a patre suo Africano
cesa,

cesa, et grauitur cruciata; deinde a prefecto Eleusio quem sponsum habuerat diutissime afflicta; nouissime capitis decollatione martirium consummauit. Eodem die, apud Egiptum; Iuliani cum aliis numero quinque milibus. Eodem die, Metis ciuitate; natalis sancti Symeonis episcopi et confessoris. Eodem die; sancti confessoris, Berchani.

xiiij. Kal. Martij.

- F.** In Perside; natalis beati Polocronii, Babilonie et Thesifontis episcopi. Qui presenti Decio persecutore, os lapidibus cesus, manibus extensis, oculos ad celum eleuans, emisit spiritum. Scriptum in passione sancti Laurentij. Eodem die; sancti confessoris Fintani.

xij. Kal. Martij.

- G.** Hierosolimis; beati Symeonis episcopi et martiris. Qui traditur propinquus saluatoris secundum carnem fuisse. Constat tamen quia Cleopha cuius filius fuit, frater erat Ioseph. Eodem die; sanctorum martirum Claudii et uxoris eius Prepedigne, et filiorum Alexandri et Cautie, et fratris Claudii beati Marimini. Metis; depositio sancti Legoncii ipsius urbis episcopi et confessoris.

xi. Kal. Martij.

- A.** Rome; sancti Gabini presbiteri, patris beatissime Sussanne. Qui a Diocliciano diu uinculis afflictus, pretiosa morte celi gaudia comperauit. Eodem die; sancti confessoris Baithini.

x. Kal. Martij.

- B.** Apud Tyrum, que est urbs maxima Fenicis; beatorum martirum quorum numerum dei sola scientia colligit. Quos iubente Diocliciano,

cliciano, uenturus magister milicie diuersis tormentorum generibus sibi inuicem succedentibus occidit. Horum multitudinem gloriosissimam celi que exercitum, ducebant et incitabant ad uictoriam beatissimi Tyrannus episcopus et Siluanus. Qui paruo tempore interposito, bestiarum morsibus martyrium compleuerunt. Et Pelenus atque Linus, episcopus; qui igne cum plurimis clericis consumpti sunt. Tenobius quoque uenerabilis presbiter capite cesus.

ix. Kal. Marcij.

C. Apud Siciliam; martirum septuaginta nouem. Qui sub Diocliano per diuersa tormenta confessionis sue coronam a Cristo sibi paratam accipere meruerunt. Eodem die, Metis ciuitate; natalis sancti Felicis episcopi et confessoris. Qui sedit annos quadraginta duos, et menses sex. Eodem die; sancti confessoris Fintani.

viij. Kal. Marcij.

D. Apud Antiochiam; cathedra sancti Petri. Eodem die, apud Alexandriam; Abilii episcopi, qui post beatum Marcum secundus episcopus tredecim annos sacerdotium ministravit. Apud Icrapolim; sancti Papie episcopi, auditoris Johannis apostoli. Item beati Arision, qui unus fuit de Septuaginta duobus discipulis Christi. Viennam; sancti Pascacii episcopi et confessoris admirande sanctitatis. Eodem die; sancte Thecle uirginis.

viij. Kal. Marcij.

E. Apud Smirmum; natalis sancti Sereni monachi. Qui tempore Maximiani imperatoris cum unus ex domesticis eius uxorem hora incongrua in horto quem ipse sibi excolebat deambulanti acrius increpando repulisset, iubente Maximiano tentus, et Cristianum se esse confessus capite cesus est. Item aliorum quadraginta duorum;

Episcopus de ...
...

rum; qui ibidem passi sunt. Ipso die; sancti Policarpi presbiteri et confessoris. *Eodem die, in Anglia apud Wenloc; sancte Milburge uirginis.*

vi. Kal. Martij.

ff. Natalis sancti Mathie apostoli. Et inuentio capitis precursoris domini, tempore Marciani principis; quando isdem precursor duobus monachis primum ubi idem caput eius celatum iaceret reuelauit. Apud Cesaream Capadocie; natalis sancti Sereni martiris. Cuius gesta preclarissima habentur.

v. Kal. Martij.

ff. Apud Egiptum; natalis sanctorum Uictorini, Uictoris, Nichofori, Claudiani, Dioscori, Serapionis, et Papie, sub Numeriano agente Fabiano duce. Qui omnes diuersis cruciatibus afflicti ultimo martirio coronati sunt.

iiii. Kal. Martij.

ff. In ciuitate Pergen Pamphilie; natalis sancti Nestoris episcopi. Qui persecutione Decii multa perpressus; nouissime gloriosam uitam martirio adquisiuit. Eodem die; beati Alexandri Alexandrine ciuitatis episcopi et confessoris.

iii. Kal. Martij.

ff. Apud Hispaniam ciuitatem Hispalini; natalis sancti Leandri episcopi et confessoris. Ad quem beatus Gregorius libros moralium scribit. Cuius predicatione et industria, tota gens ab Arriana impietate conuersa est. Item eodem die, in Alexandria; natalis sancti Iuliani martiris. Item Lugdunum; sancti Baldimeri uiri Dei. Cuius sepulchrum crebris miraculis illustratur.

ij. Kal. Marcij.

- 28
- C.** In territorio Lugdunensi, locis Uirensibus; natalis Romani abbatis, qui primus illuc uitam heremiticam duxit. Et in multis uirtutibus ac miraculis clarus, plurimorum postea extitit pater monachorum. Venerabile corpus eius situm est in finibus Uesantionum. Eodem die; confessoris Sillani. Eodem die; sancti Oswaldi episcopi et confessoris.

Marcus habet dies xxxi. Luna xxx.**Kal. Marcij.**

- D.** Rome; sanctorum martyrum ducentorum sexaginta, temporibus Claudii; qui in uia salaria harenam fodientes dampnati fuerant pro Cristi nomine. Quos iussit Claudius ut in fligema foris muros porte Salarie mitterentur, et eo loco inclusi in ciuitatis amphiteatro militum sagittis interfecerentur. Eodem die; sancti Dauid.

vi. Non. Marcij.

- E.** Rome, uia Latina; sanctorum Uiuini et Basilei, qui passi sunt sub Gallieno et Ualeriano imperatoribus. Et Simplicii pape, qui sedit Rome annis quindecim. Hic Acacium Constantinopolitanum episcopum, et Petrum Alexandrum episcopum Euticianos dampnavit. Eodem die; sancti Sedde episcopi et confessoris.

vi. Non. Marcij.

- 3
- F.** Natalis sanctorum martirum Etnitherii et Celedonii, qui primum apud legionensem Galatie ciuitatem milites, exurgente persecutione procella, pro confessione nominis Cristi plurimis afflictis tormentis, Callacurim usque perducti, ibi martirio coronati sunt.
- Apud

Apud Cesaream Palestine; sanctorum martirum Marini militis, et Asterii senatoris, sub persecutione Ualeriani passorum.

iiii. Non. Marcii.

- G.** Natalis sancti Lucii pape et martiris. Qui persecutione Ualeriani, et Gallieni, ob fidem Christi exilio religatus, et postmodum diuino nutu ad ecclesiam suam redire permissus, martirium capitis obtruncatione compleuit. Item Rome, uia Appia; sanctorum martirum nongentorum qui sunt positi in cimiterio ad sanctam Ceciliam. Eodem die; Gaii palitini in mare mersi.

iii. Non. Marcii.

- A.** Apud Antiochiam; passio sancti Foce martiris. Qui post multas quas pro nomine Christi redemptoris et passus iniurias, qualiter de antiquo illo serpente triumphauerit, hodie populis declaratur. Denique si in quempiam locum coluber morsum stringens uenena diffuderit, extimplo qui percussus est, ut ianuam basilice martiris credens attigerit, euacuata uirtute ueneni saluatur. Item ipso die; sancti Eusebii palatini, et aliorum nouem martirum.

ii. Non. Marcii.

- B.** In Nicomedia; natalis sancti Uictoris, et Uictorini, qui per triennium cum Claudio et Bassa uxore eius afflicti et reclusi in carcere, ibidem uite sue cursum impleuerunt.

Non. Marcij.

- C.** In Mauritania ciuitate Tiburtinorum; passio sanctarum martirum Perpetue et Felicitatis; et cum eis Reuocati, Saturnini et Secundoli. Quorum ultimus in pace quieuit. Reliqui omnes ad bestias tradidi sunt sub Scuero principe die natalis eius.

biii. Idus Martii.

D. Apud Cartaginem; sancti Poncii diaconi, beati Cipriani episcopi; qui usque ad diem passionis eius cum ipso exilium sustinens; egregium uolumen uite et passionis ipsius reliquit, atque ad Dominum semper in passionibus suis glorificans; coronam uite promeruit.

bii. Id. Martii.

E. Apud Misenam ciuitatem; sancti Gregorii episcopi fratris beati Basilio Cesariensis uiri doctissimi et eloquentia clarissimi. Apud Barcinonam; Paciani episcopi tam uita quam sermone clari. Qui optima senectute mortuus est, Thodosii principis tempore.

bi. Id. Martii.

F. Natalis sanctorum martirum Alexandri, et Gade Eumenia; qui apud Uiennam persecutione Antonini uiri martirio coronati sunt. In Perside; natalis sanctorum martirum quadraginta duorum.

v. Id. Martii.

G. Apud Sebastem Armenie minoris; quadraginta militum tempore Lucinii regis sub Agricolano; qui post uincula et carceres creberrimos, post lapidibus cesas facies, missi sunt in stagnum, ubi gelu constricta corpora eorum, nocte disrumpebantur. Vnus autem de numero quadraginta effectus pusillanimis, refugit ad balneum, moxque ut attigit calorem statim resolutus emisit spiritum. Quod uidentes ceteri, in laudes omnipotentis dei sancto spiritu confortati eruperunt. Mane autem facto impiissimi tyranni satellites inuenerunt clauicarium connumeratum martiribus unde unus ceciderat ex eisdem omnes tractos ad litus, baculis crura ipsorum confregerunt, atque ita crurifragio martyrium consummauerunt.

uerunt. Combusta sunt igitur corpora eorum et in fluuium proiecta; sed diuina dispensatione reliquie eorum integre reperte, et honore digno condite.

iiii. Id. Martij.

- A.** Rome; beatorum pontificum Gregorii doctoris et apostoli Anglorum, qui sedit ibi annos tredecim, menses sex, dies decem; et Innocentij, qui rexit ecclesiam annos quindecim, menses duos, dies uiginti unum. Supradictus namque Gregorius, agmentauit in predicatione canonis ut est illud. Dies nostros in tua pace disponas. Apud Nichomediam beati Petri martiris qui unus fuit ex Dorothei et Gorgonii martyrum sodalibus qui in cubiculo re-gerant. Item Nichomedie sanctorum Egduni presbiteri et aliorum septem qui diebus singulis suffocati sunt: ut ceteris metus incuteretur. Eodem die; sancti Maximiliani martiris.

iii. Id. Martij.

- B.** Apud Nichomediam; natalis sanctorum Macedonii, et Patricie uxoris eius, et filie Modeste. Nicea ciuitate; natalis sanctorum martyrum Teusete, et Horris filii eius, Theodore, Nimfodore, Marci, Arabie, qui omnes igni traditi sunt.

ii. Id. Martij.

- C.** Rome; martirum quadraginta octo, qui baptizati sunt a beato Petro apostolo, cum teneretur idem apostolus in custodia Mamurtini cum coapostolo suo Paulo, ubi nouem menses detenti sunt. Qui omnes sub deuotissima fidei confessione Neroniano gladio consumpti sunt.

Idus Martij.

- D.** Apud Thessalonicam ciuitatem; natalis sancte Matrone. Que cum esset Plautille cuiusdam uidue ancilla, et occulte Christum colens

- lens cotidie furtiuis orationibus ecclesiam frequentaret, deprehensa a domina sua multis ab ea uerberibus afflicta; nouissime fustibus usque ad mortem cesa, in confessione Christi incorruptum spiritum reddit. (Eodem die; sanctorum filiorum Nessani.

xbi. Kal. Aprilis.

- Rome; natalis sancti Cyriaci. Qui post longam carceris macerationum quam sub Maximiano pertulit, cum Sisinnio condiacono suo, et Smaragdo et Largo, post multa facta miracula in quibus filiam Diocliciani Artemiam ipsius rogatu a demonio curauit ac baptizauit; et multa alia post mortem Diocliciani tentus a filio eius Maximiano; et diutissime cruciatus postremo capite truncatus est cum Largo et Smaragdo, et aliis uiginti. Ipso tempore; Maximianus interfecit sororem suam Artemiam. Nicomedia; natalis sanctorum Castoris et Dionisii. Apud Uienam; sancti Sicii episcopi.

xbi. Kal. Aprilis.

- Apud Hyberniam occiani insulam; natalis sancti Patricii archiepiscopi Scotorum. Qui primus eosdem Scotos de gentilitate ad Christi fidem conuertit. Qui sacris moribus, castitati scilicet et ieiunio deditus, largis elemosinarum operibus et deuote oracioni intentus uigiliis quoque et laboribus creberrimisque predicationibus instanter inseruiens, plurimos Scotorum nobiles in utroque sexu constitutos, non solum ad fidem Christi, sed eciam ad dei seruitium in anchoritana et heremetica uita, relictis parentibus liberis et uxoribus agrorum ceterarumque diuitiarum possessionibus suis deo cooperante perduxit. Unde et primi sancti eiusdem insule confessores primum nectar baptismatis sancti Patricii episcopi nuncupantur. Sicut Paulus apostolus gentium apellatur, sic sanctus Patricius Scotorum apostolus nuncupatur. Vnde et quadam

quadam prevaticinatione etiam ipsum nomen accepit. Patricius namque pater ciuium uel gentium interpretatur. Sicut enim postea in Apostolatum barbarice gentis Scotorum uerbo predicationis per aquam et spiritum sanctum ex baptismatis fonte, uelud ex matris utero regenerauit, merito eiusdem scilicet gentis pater nominatur. Inter quos autem conflictus et que certamina quo sui labores a diabolo ac malis hominibus eidem scilicet diabolo famulantibus sustulit, fari in hoc opusculo non est opus. Sed tantum ydola destruendo, aras ac eorum templa ritus cultusque subuertendo, uirum fortem, id est, dyabolum alligauit; et arma eius ac spolia abstulit, id est, gentilium animas diaboli cultu ad seruitium Christi perduxit. Vnde etiam animo et summa intentione persecutiones sustinendo martyr effectus, apostolus et predicator in conuertendo gentis ad fidem constitutus, episcopus baptizando, ungendero, crismatizando, et episcopos, presbiteros, diaconos, ceterosque gradus ecclesie ordinando perfectus; uigilias, ieiunia, et larga elemosinarum opera, ceteraque queque secundum apostolum episcopatui conueniunt, omnia in omnibus factus, ut omnes lucrifaceret exercendo, multiplicem uel etiam centuplicem ut ita dicam, coronam inter uiginti quatuor seniores accepit. Vnde etiam non solum in cimiterio in quo sanctum eiusdem beati Patricii corpus sepulture traditum fuerit, uerum etiam in omni loco ubicunque fuerit ipsius nomen inuocatum, mirande uirtutes et clara miracula luce clarius refulgent. Eodem die; sancte Geretrudis uirginis.

xb. Kal. Aprilis.

- ¶ Natalis Alexandri episcopi, qui de Capadocia ciuitate sua ueniens cum desiderio sanctorum Ierosolimam pergeret, et Narcisus episcopus eiusdem urbis iam senex regeret ecclesiam; ipsi Narciso et multis clericorum eius reuelatum est altera die mane intrare

trare episcopum, qui adiutor sacerdotalis cathedre esse deberet. Itaque omnia ita completa ut predicta fuerant; cunctis in Palestina in unum congregatis, adnitente maxime Narciso, Ierosolimitane ecclesie cum eo gubernaculum suscepit. Quique persecutione Decii cum iam longee etatis ueneranda canicie perfulgeret, ductus Ceseream et clausus carcere, ob confessionem Christi martyrio coronatus est. Eodem die, in Britannia; natalis sancti Eadwardi regis et martiris.

xiiii. Kal. Aprilis.

- A. Apud Penarensem urbem; beati Johannis magne sanctitatis uiri, peruenit ad Italiam. Ibiq; locum sibi a deo preparatum inueniens, non paucos ad Christi seruitutem exemplo uite sue instruens, et multis uirtutibus clarus in pace quieuit. Eodem die, apud Surrentium; sanctorum Quinti et Quintilli et Quartilli martirum cum aliis nouem. (Eodem die; Auxilli et Lactani.)

xiii. Kal. Aprilis.

- B. In Britannis; sancti Cuthberti qui ex anachorita ecclesie Lindisfernensis antistes totam ab infantia usque ad senium uitam miraculorum inclitam duxit. Cuius cum undecim annis maneret corpus humatum, incorruptum est cum ueste qua tegebatur inuentum. Scribit sanctus Beda presbiter in libello de uita ipsius.

xii. Kal. Aprilis.

- C. Apud Cassinum castrum; sancti Benedicti abbatis. Cuius uitam uirtutibus et miraculis gloriosam in dialogorum libris beatus papa scribit Gregorius. Eodem die; beati Serapionis anacorite. Et in teritorio Lugdunensi; sancti Lupicini abbatis Uirentium. Cuius uita sanctitatis et miraculorum gloria illustris fuit; corpus eius in finibus Uesontionum, Laconense monasterium celebratur.

xi. Kal. Aprilis.

D. In Galliis ciuitate Narbone; sancti Pauli episcopi et confessoris, discipuli apostolorum Christi.

x. Kal. Aprilis.

E. In Affrica; sanctorum martirum Uictoriani, Frumentii, et alterius Frumentij, et duorum germanorum. Qui omnes persecutione Wandalica, sub Unirico rege Ariano apud Affricam, pro constantia catholice confessionis immanissimis suppliciis excruciat, egregie coronati sunt.

ix. Kal. Aprilis.

F. Rome; sancti Pingmeni presbiteri. Hic Julianum apostatam et impium a puero nutriuit, et literis etiam sacris erudiuit. Sed factus imperator, culturam pietatis postquam reliquit, audito quod corpora sanctorum qui ab eo necabantur idem Pingmenius sepeliret; mandauit ei; Perge quo uolueris, hic enim non necabitur uita tua; tamen seruitium tuum nunc reddam tibi. Tunc sanctus Pingmenius perrexit in Persidam ubi demoratus annis quatuor; factus est cecus. Postea per reuelationem Romam reuersus; uisus a Iuliano preceptum est ab eo Pingmenium per pontem in Tyberim precipitari, eo quod nomen domini Ihesu Christi inuocasset. Cuius corpus inuentum et collectum sepultum est in cimiterio Pontiani; non longe ab Abdon et Sennen confessorum.

viii. Kal. Aprilis.

G. Apud ciuitatem Galilee Nazareth; annuntiatio dominica. Et in Nicomedia; natalis Dule ancille militis que pro castitate occisa est. Et Rome; Cirini, qui interfectus a Claudio, et in Tyberim iactatus
in

in insula Lycaonia inuentus et in cimiterio Pontiani conditus est. Scriptum in passione sancti Ualenti. Et apud Sirinium; natalis sancti Hyrenei episcopi. Qui tempore Maximiani imperatoris sub preside Probo, primo tormentis acerrimis uexatus, deinde diebus plurimis in carcere cruciatus; nouissime absciso capite consummatus est.

iii. Kal. Aprilis.

A. Rome, uia Lauicana, in cimiterio eiusdem; sancti Castuli. Qui cum esset zetarius palatii et hospes sanctorum, ut in gestis beati Sebastiani legitur, a persecutoribus tentus et cruciatus; cum palma martirij migravit ad dominum. Eodem die, Pentabolim Libie; Theodori episcopi, Hyrenei diaconi, Serapionis et Amonii lectorum. Item apud Syrinium; natalis sancti Montani presbiteri; qui cum Maxima uxore tentus et in fluuium precipitatus est; corpora eorum non longe ab urbe inuenta.

ii. Kal. Aprilis.

B. Apud Egiptum; beati Johannis heremite admirande sanctitatis uiri. Qui etiam prophetico spiritu plenus, Theodosio imperatori Christianissimo uictorias de tyrannis predixit.

i. Kal. Aprilis.

C. Apud Cesaream Palestine; sanctorum martirum Prisci, Malci, et Alexandri. Qui persecutione Ualeriani pro Christi nomine bestiis traditi martirium compleuerunt. Et apud urbem Cabilonensium; depositio Gunteranni regis Francorum religiosi. Qui ita se spiritualibus actionibus mancipauit; ut relictis seculi pompis, thesauros suos ecclesiis et pauperibus erogaret. Syxti pape; qui sedit Rome annos nouem.

iiii. Kal. Aprilis.

- D.** Depositio abbatis Eustasii, discipuli sancti Columbani; qui pater ferme sexcentorum extitit monachorum, et uite sanctitate conspicuus, etiam miraculis claruit. Eodem die, apud Affricam; sanctorum confessorum Armogastis, Artinimi, et Saciri. Qui apud Affricam tempore Wandalice persecutionis, sub Iesserico rege Arriano, pro confessione ueritatis, multa et grauia perpessi supplicia, cursum gloriosi certaminis impleuerunt.

Tertio Kalendas Aprilis.

- C.** Rome; sancti Quirini, tribuni martiris; sub Traiano imperatore. Qui auditis exhortationibus beati Herme de fide Christi, et uisis signis que Dominus in martiribus suis Alexandro et Herme operabatur, necnon et filiam suam Balbinam, eorum orationibus sanata, mox baptizatus est cum omni domo sua. Quo audito Aurelianus iudex, post abscisionem lingue, manuum, pedumque, iussit eum decollari, et canibus proci. Sed Christiani corpus eius raptum in uia Appia sepelierunt, in cimiterio Pretextati.

ii. Kal. Aprilis.

- F.** Rome; sancte Balbine uirginis, filie Quirini martiris. Qui beatus martir, tollens boiam de collo Alexandri pape, secundum iussionem eius, cum pergeret ut collo filie sue strumam imponeret, ecce subito puer cum facula apparuit, quem constat angelum Domini fuisse; et uenit ad puellam dicens; Salua esto; et in uirginitate tua permane, et ego te faciam uidere sponsum tuum, qui pro amore tuo sanguinem suum fudit. Perueniens igitur pater, ut perficeret quod de boia ei iussum fuerat, uidet subito filiam sanam. Que post modum a sancto Alexandro baptizata, et instructa in

uirginitate, plena operibus bonis permansit; post deuictum uero seculi huius cursum, sepelitur iuxta patrem suum Quirinum, uia Appia, in cimiterio Pretextati.

Aprilis habet dies xxx. Luna xrbiii.

Kal. Aprilis.

- ¶. Rome; beatissime Theodosie sororis illustrissimi martiris Heremetis, quam beatus Alexander papa et martyr instruxit, baptizauit, atque in fide Christi edocuit; qui sub Aureliano imperatore martirium suscepit. Sepulta est iuxta fratrem martyrem, uia Salaria, non longe ab urbe Rome. Eodem die; sancti Uenantii episcopi et martiris. Et in pago Uiuernoense; sancti Ualerici confessoris cuius sepulchrum crebris miraculis illustratur.

iiii. Non. Aprilis.

- ¶. Natalis sancti Nicetij Lugdunensis episcopi; cuius uita miraculis claruit, et preciosa mors nichilominis commendatur. Et apud Cesaream Capadocie; sancte Theodosie uirginis. Qui tempore Diocliciani cum esset annorum decem et octo, pro Christi nomine diuersis afflictis suppliciis, ultimo capitis abscisione martyrium compleuit.

iii. Non. Aprilis.

- ¶. Thessalonice; natalis sanctarum uirginum; Agapes et Chionie, sub Diocliciano. Que primo in carcere macerate, post in ignem misse sunt; sed intacte a flammis, post orationem ad Dominum fusam, animas reddiderunt. Apud Cychiam, ciuitatem Chomis; natalis sanctorum Euagri et Benigni. Apud Thauromenium, ciuitatem Sicilie; sancti Pancracij. *In Anglia Sancti Ricardi episcopi et confessoris.*

ii. Non. Aprilis.

- C.** Mediolanis; depositio beati Ambrosii episcopi et confessoris. Cuius studio, inter cetera doctrine et miraculorum insignia, tempore Arriane perfidie, tota Italia ad catholicam fidem conuersa est.

Non. Aprilis.

- D.** Thesalonice; sancte Herenes uirginis. Que post tollerantiam carceris, sagitta percussa est a Sissinio comite, sub quo et sorores eius simul, Agapes et Chionia, martyrizate fuerunt. Item apud Egiptum; natalis sanctorum martirum Nicanoris, Appollonij. Apud Cesaream Licie; sancti Amphiliani.

iiii. Idus Aprilis.

- E.** Syxti pape et martiris; qui rexit ecclesiam annos decem, menses duos, diem unum. Passus est autem temporibus Adriani imperatoris.

viii. Id. Aprilis.

- F.** Esippi pape uiri sanctissimi, qui uicesimus apostolorum tempore, omnes, a passione domini, usque ad suam etatem, ecclesiasticorum actuum terens historias, multa que ad utilitatem legentium pertinentia hinc inde congregans, quinque libros composuit; et hic constituit, ut intra actionem missarum, sanctus, sanctus, sanctus, decanteretur. Item Celestini pape, qui rexit ecclesiam annos octo. Hic constituit, ut psalmi Dauid centum quinquaginta ante sacrificium antiphonatim canerentur.

vi. Id. Aprilis.

- G.** Turonis; Perpetui episcopi, admirande sanctitatis uiri, cuius ope templum super reuerenda ossa beati Martini episcopi perfectum

est : eiusque sacrum corpus, de loco ubi primum tumultatum fuerat, ad locum ubi nunc condigne ueneratur, translatum est.

Quinto Idus Aprilis.

- A.** Apud Syrinium; natalis septem uirginum que in unum meruerunt coronari, quinto idus Aprilis. Apud Antiochiam; beati Prochorii diaconi, qui unus fuit de septem primis. Item transitus sancte Marie Egiptiace.

iiii. Id. Aprilis.

- B.** Ezechielis prophete. Apud Romam; beatorum martirum plurimorum; quos beatus Alexander papa et martir baptizauit, cum teneretur in carcere: et ipsi sunt religati pariter cum illo. Hos omnes Aurelianus imperator uetusta nauis impositos in altum mare deduci, et illic ligata colla lapidibus mergi in profundo maris fecit.

iii. Id. Aprilis.

- C.** Apud Cretam urbem Cortine; beati Philippi episcopi, qui uita et doctrina claruit, temporibus Antonini Ueri et Lucij Aurelij Commodij imperatorum.

ii. Id. Aprilis.

- D.** Rome, uia Aurelia miliario tercio; natalis sancti Iulii episcopi et confessoris. Qui sub Constantio Ariano filio Constantini decem mensibus tribulationes et exilia perpeusus, post eius mortem cum magna gloria ad suam sedem reuersus est.

Idus Aprilis.

- E.** Apud Pergamum Asye urbem; sanctorum Carpi episcopi, et Papirij diaconi, et Agathonice optime femine, aliarumque multarum

rum, que probatis confessionibus martyrio coronati sunt. Ipso die; sancti Iulij episcopi et confessoris. Apud Hispaniam; natalis Hermigildi, quem pater eius Leouigildus, Arrianus, rex Gothorum, ob fidei Catholice confessionem inexpugnabilem in carcerem et uincula coniecit. Vbi nocte sancta dominice resurrectionis iussu perfidi patris securi in capite percussus, regnum celeste pro tereno, rex et martyr intrauit.

xviii. Kal. Maij.

F. Rome; uia Apia in cimiterio Pretextati; natalis sanctorum martyrum, Tyburtii, Ualeriani, et Maximi; sub Almachio prefecto. Quorum primi fustibus cesi, et gladio sunt percussi. Ultimus tamdiu plumbatis est uerberatus, donec spiritum redderet. Interamne; sancti Proculii martiris. Item, sancte Domne uirginis, cum sociis uirginibus coronate. Apud Alexandriam; beati Frontimis abbatis, cuius uita sanctitate et miraculis extitit gloriosa.

xvii. Kal. Maij.

G. In ciuitate Cordula; sancti Olimpiadis et Maximi nobilium. Qui iubente Decio fustibus cesi, deinde plumbatis; ad ultimum capita eorum securibus tonsa sunt, donec emitterent spiritum. Et Hispaniis, ciuitate Cesar Augusta; natalis sanctorum octodecim martyrum. Optati, Lupercij, Successi, Marciellia, Urbani, Julie, Quincilliani, Publii, Frontonis, Felicis, Ceciliani, et Uoti, Primitiui, Apodemi, et reliquorum quatuor. Qui omnes Saturnini necati ense referuntur. Apud Italiam; sanctorum martyrum Mamnis, Eutichis, et Uictorini.

xvi. Kal. Maij.

A. Apud Corinthum; Calixti et Carici, cum aliis septem, omnium, in mare mersorum. Sancti Nicecij episcopi, qui sedit in episcopatu
annos

annos undecim, et temporibus Seueri et Marci martirio coronatus; sepultus in cimiterio Kalixti. Hic constituit, ut clerus comam non nutriret; secundum apostoli preceptum. In Colonia; translatio sancti Albini martyris.

x. Kal. Maij.

- B.** Apud Affricam; natalis sancti Mampalici, qui cum aliis pluribus martirio coronatus est. Apud Antiochiam; natalis sanctorum Petri diaconi, et Hermogenis. Apud Uiennam; sancti Patagati episcopi.

xiiii. Kal. Maij.

- C.** Apud Messanam Apulie ciuitatem; natalis sanctorum martirum Eleutherij episcopi, et Ancie matris eius. Qui beatus episcopus, cum esset et sanctimonia uite, et miraculorum uirtute illustris, sub Adriano principe, in confessione Christi lectum ferreum ignitum, craticulam et sartaginem, oleo, pice, ac resina feruentem superans, leonibus quoque proiectus, sed ab illis illesus; nouissime una cum matre gladio iugulatur. Item eodem die, Rome; sancti Apollonij senatoris pro Christo capite cesi.

xiii. Kal. Maij.

- D.** In Armenia ciuitate Militana; natalis sanctorum Hermogenis, Gagii, Expediti, Aristonici, Rufi, Galathe, una die coranatorum. Caucoliberi Hispanie; natalis sancti Uincentii martiris. Apud Corinthum; beati Timonis, de illis septem diaconibus primis. Cantuarie; passio sancti Elphegii archiepiscopi et martiris.

xii. Kal. Maij.

- E.** Rome; sancti Uictoris episcopi, qui tercius decimus post beatum Petrum rexit ecclesiam annis decem, et sub Seuero principe martyrio

tyrio coronatur. Item Rome; sanctorum martirum Sulpicii et Seruiliali. Qui persecutione Traiani cum nollent ydolis immolare, a prefecto urbis Aniano capite cesi sunt. Eodem die, in Gallis, ciuitate Ebredunense; sancti Marcellini, primi eiusdem urbis episcopi et confessoris.

xi. Kal. Maij. 21

- ff. Rome; sancti Sotheris pape, qui sedit in episcopatu annis nouem sepultusque est in cimiterio Calixti. Hic constituit, ut nulla monacha pallam sacratam contingeret in ecclesia, neque incensum poneret. Apud Persidem; natalis Symonis episcopi, Seleutie et Thesifontis, regalium ciuium. Qui persecutione Saporis regis Persarum, iubente eodem tyranno, comprehensus cum aliis centum, e quibus alii episcopi, alii erant presbiteri, alii diuersorum ordinum clerici, longo tempore maceratus; nouissime, cum in Christi testimonio immobilis persisteret, iussus est cum omnibus decollari. Passi sunt cum eo etiam Uastazadis eunuchus nutricius regis, atque Annanias, et Abdela, et Pufitius cum filia sua sacra uirgine. Apud Alexandriam; sanctorum Fortunati, Aratoris presbiteri, Felicis, Siluii, Uitalis, qui in carcere quieuerunt. Et in Britannia; sancti confessoris Maelrubai.

x. Kal. Maij.

- G. Rome, in uia Appia, in cimiterio Calixti; sancti Gaii pape. Qui cum ecclesiam undecim annis, mensibus quatuor, diebus duodecim rexisset, martirio coronatus est, sub Dioclitiano principe. Agapiti pontificis; qui sedit Rome mensibus undecim. Apud Persidem; sanctorum martirum plurimorum. Qui, iubente Sapore Persarum rege, annuo die quo passionis Dominice memoria celebratur, per totam Persidis regionem tenti, ac pro Christi nomine iugulati sunt. In quo fidei certamine, passus est Melitus episcopus.

pus, Acepimas quoque episcopus cum presbitero suo Iacobo, et Mareas et Bicornihilominus episcopi, cum clericis fere ducentis quinquaginta, monachis etiam cum sacratis uirginibus, et Tabua sorore sancti Symeonis episcopi et martiris. Eodem die, in Cordula ciuitate; natalis Parmenii, Helimene, et Crisostoli presbiterorum, et Luce et Muti diaconorum de Babilonia. Qui omnes trucidati sunt. Et Lugdono Gallie; sancti Epipodii martyris. Uienza; sancti Iuliani episcopi et confessoris.

Nono Kalendas Maii.

93 **A.** In Perside ciuitate Diospoli; passio sancti Georgii martiris. Cuius gesta passionis, et si inter apocrifas connumeratur scriptas, tamen illustrissimum martyrium eius, inter coronas martyrum, ecclesia Dei uenerabiliter honorauit. Et in Gallis, ciuitate Valentia; natalis sanctorum Felicis presbiteri, Fortunati et Achillei diaconorum. Qui a beato Hireneo Lugdunensi episcopo et martyre ad predicandum missi, a duce Cornelio multa perpassi, ad extremum gladio consummati sunt. In Fontenella monasterio; sancti Uulfranni episcopi, preclari in miraculis et doctrina uiri. Eodem die; natalis sancti Adelberti martiris.

viii. Kal. Maij.

24 **B.** Lugduno, Gallie; sancti Alexandri, qui tercio post passionem beati Epipodii die productus a carcere, et fixus patibulo, beatum spiritum examinatus emisit. Passi sunt cum eo et alii numero triginta quatuor. Eodem die; depositio Melliti episcopi et confessoris in Britannia.

vii. Kal. Maij.

25 **C.** Apud Alexandriam; sancti Marci Euangeliste. Hic discipulus et interpres beati Petri apostoli. Rogatus Rome a fratribus, scripsit euangelium,

euangelium. Quo assumpto, perrexit Egiptum, et primus Alexandrie Christum annuntians, constituit ecclesiam, tanta doctrina et uite continentia, ut omnes sectatores Christi, ad exemplum sui cogeret. Meminit huius Marci et Petrus in prima epistola sua, sub nomine Babilonis, figuraliter Romam significans. Salutatur uos, inquit, ecclesia que est in Babilone collecta, et Marcus filius meus. Quique constitutis et confirmatis ecclesiis per Libiam, Marmaricam, Ammoniacham, Pentapolim, Alexandriam atque Egiptum uniuersam. Ad ultimum tentus est a paganis qui remanserant Alexandrie. Qui uidentes eum die sancto pasce missas facientem, miserunt funem in collo eius, et trahebant eum ad loca Bucolie, que erant iuxta mare sub rupibus, ubi erat ecclesia constructa: et defluebant carnes eius in terra, ac saxa inficiebantur sanguine. Vespere autem facto, miserunt eum in carcerem, ubi circa mediam noctem primo angelica uisitatione confortatus est, deinde ipso domino sibi apparente, ad celestia regna uocatus est. At mane dum *iterum* traheretur ad loca Bucolie, gratias agens domino et dicens, domine in manus tuas commendo spiritum meum, defunctus est. et a uiris religiosis sepultus in loco lapidis excisi cum gloria. Ordinauerat autem pro se Alexandrie episcopum Anianum: aliis quoque longe lateque ecclesiis, episcopos, presbiteros, diaconos, ordinauerat. Eodem die, Rome; letania maior ad sanctum Petrum. Apud Uiennam; sancti Clarenti episcopi et confessoris.

vi. Kal. Maii.

- ☩. Rome; natalis sancti Cleti pape, qui secundus post beatum Petrum cum rexisset ecclesiam annis nouem, persecutione Domitiani martirio coronatus est. Ipso die; sancti Marcellini pape. Qui cum ecclesiam nouem annos et menses quatuor rexisset, tem-

poribus Diocliciani et Maximiani, ab eodem Deocleciano preside cum Claudio et Cirino et Antonino, capite truncatus est.

b. Kal. Maij.

- C.** Rome; sancti Anastasij pape, qui sedit annos tres, dies decem. Apud Nichomediam; natalis sancti Antimi martiris, in memoriis piorum fulgentis in regno Christi. Qui persecutione Diocliciani, ob confessionem Christi martirii gloriam capitis obtruncationem suscepit. Quem tanquam bonum pastorem uiam martirij preuentem, uniuersa pene gregis sue multitudo secuta est.

Quarto Kalendas Maij.

- f.** Apud Rauennam; natalis sancti Uitalis martiris, patris sanctorum Geruasii et Prothasii. Qui sub persecutione Paulini iudicis martirio coronatus est. Ipso die; Urcissini medici, sub predicto iudice passi; et Ualerie coniugis beati Uitalis. Et Alexandrie; sancte Theodore uirginis et martiris. Item Didimi ob confessionem Christi capite cesi. Eodem die; Afrodisij, Carilippi, Agapii, et Eusebii martirum. Item in Pannonia; sancti Apollonis martiris. *Item in Iberna sancti Roberti.*

iii. Kal. Maij.

- G.** Apud Paphum: Tichici apostolorum discipuli. In Numidia apud Circensam coloniam; sanctorum Agapii, et Secundini episcoporum. Qui persecutione Ualeriani, post longum exilium apud præfatam urbem martyres effecti sunt gloriosi. Eodem die; sancti Petri martiris apud Melan de ordine Predicatorum.

ii. Kal. Maij.

- A.** Natalis sanctorum martirum Maximiani et Jacobi; qui Deciana persecutione post grauia tormenta, nouissime cum multis aliis gladiis

diis consummati sunt. Eodem die; apud ciuitatem Sanctonas; natalis sancti Eutropii episcopi et martyris. Et apud Asiam; passio sancti Maximi martiris, cuius gesta habentur. Rome, uia Appia; passio sancti Quirini martiris. Eodem die; sancti confessoris Ronani.

Kalendas Maij.

B. Kal. Maij. Jeremie prophete. Et natalis sanctorum apostolorum Philippi et Iacobi, filij Marie que fuit soror matris domini; unde et fratres domini dicebantur. In Gallis territorio Wariensi, in loco qui uocatus est antiquitus Gentibus sancti Andeoli subdiaconi; quem misit ab oriente sanctus Policarpus, cum beato Benigno et Andochio presbiteris, et Tirso diacono; ad predicandum uerbum Dei in Galliam. Cuius predicatione Cesar Seucrus comperta crudelissime affligi precepit: et sic martirii coronam promeruerunt. Item ciuitate Sedunense; passio Sigismundi regis et martiris. In Germania pago Sualauelda; natalis sancte Uualdburgis uirginis, cuius uita uirtutibus et miraculis extitit gloriosa, et sic in pace ecclesie quieuit.

vi. Non. Maij.

C. Natalis sancti patris nostri Athanasii, Alexandrine urbis episcopi et confessoris. Qui multas Arrianorum perpessus insidias, quadragesimo et sexto anno sacerdocii sui, post multas agones multasque patientie coronas, quieuit in pace. Eodem die; sanctorum martirum Saturnini et Neapolis.

v. Non. Maij.

D. Ierosolimis; inuentio sancte crucis ab Helena regina sub Constantino principe cuius ipsa extitit mater. Eodem die, Rome, Numentana, miliario septimo; sancti Alexandri pape, cum Euentio et Theodolo presbiteris, sub Traiano principe, iudice Aureliano.

liano. Qui Romane ecclesie episcopatum quintus post Petrum annos decem tenuit, menses duos, dies decem. Quique post modum, iubente Traiano principe, ab Aureliano comite utriusque milicie diuersis tormentorum generibus cruciatus, martirium consummauit. Sancti autem duo presbiteri gladio iugulati sunt. Ipso die; sancti Iuuenalis episcopi et confessoris.

iiii. Non. Maij.

E. In Palestina ciuitate Gaza; natalis sancti Siluani eiusdem urbis episcopi. Qui persecutione Diocliciani cum plurimis clericorum suorum martirio coronatus est. Eodem die; beatissimi Iusti memoria Uiennensis episcopi. Item in Metallofanensi; sanctorum martirum quadraginta, qui simul capite cesi sunt. Nicomedie; sancte Antonie, que a Priscilliano preside flammis exusta est. Eodem die, in Noricho Ripensi loco Lauriaco; natalis sancti Floriani martiris. Ipso die; beati Quiriaci episcopi et martiris gloriosi, sub Iuliano imperatore.

iii. Non. Maij.

F. Apud Alexandriam; sancti Entimii diaconi; in carce[re] quiescentis. Thessalonice; sanctorum Hyrenei, et Peregrini, et Hirenes, ignibus combustorum. In Gallis, ciuitate Arclatensi; sancti Hylarii episcopi et confessoris, magni, docti, et preclarissimi uiri. Item Uienne; beati Nicecij episcopi uenerabilis sancti uiri. Autisiodoro; passio sancti Iouiani lectoris.

ii. Non. Maij.

G. Natalis sancti Iohannis apostoli, ante portam Latinam Rome. Qui ab Epheso, iussu Domiciani fratris Titi, secunda persecutione quam ipse post Neronem exercuit, ad urbem Romam perductus, presente senatu ante Portam Latinam inferuentis olei dolio missus est,

est, agente hoc impio principe, qui Christianorum infestissimus persecutor erat. Sed beatus apostolus tam liber a pena inde exiit, quam a corruptione carnis fuerat immunis. Eodem die; beati Euodii Antiochie episcopi, qui primus ab apostolis ibi est ordinatus. Item beati Lucii Cyrenensis, qui apud Cyrenen primus episcopus a sanctis apostolis.

Nonas Maij.

- A.** Natalis sancti Iuuenalis martiris, atque illustrissime dei famule Flauie Domitille. Qui sub persecutione Traiani, cum Eufrasina et Theodora collactaneis et conuiginalibus suis, martirio meruit decorari. Eodem die, apud Nichomediam; passio sanctorum martirum, Flauii, Augusti, et Augustini fratrum. Benedicti pontificis, qui sedit Rome menses decem, imperante Constantino. Eodem die; sanctorum confessorum, Ciaroc et Bretani.

viij. Idus Maij.

- B.** Mediolana; sancti Victoris martiris. Qui natione Maurus, et a primeua etate Christianus, cum esset in castris imperialibus miles, eciam canicie decoratus, compellente Maximiano ut sacrificaret ydolis, in confessione domini fortissime perseuerans, primo grauiter fustibus cesus: sed Deo protegente doloris expers. Deinde liquenti plumbo perfusus, sed nichil penitus lesus; nouissime gloriosi martirii cursum capitis abscisione compleuit. Erat autem ciues sanctorum martirum Naboris, et Felicis, qui in Affrica decollati, simul cum Ianuario et Marino, Mediolano translati sunt. Eodem die; Dionisii Uienensis episcopi, preclarissimi in doctrina uiri, sexti urbis episcopi.

viij. Id. Maij.

- C.** In Perside; sanctorum martirum, trecentorum decem. Eodem die, apud Nazazi oppidum; beati Gregorii episcopi qui theologus dicitur,

dicitur, nobilis Athenis eruditus, collega beati Basilij Cesaree Cappadotie postea episcopi. Constantinopolim; natalis sancti Timothei; quando ab Epheso eius sacra ossa delata sunt. Eodem die; sancti episcopi Sanctani. Eodem die; translatio sancti Nicholai.

vi. Id. Maii. 10

D. Natalis Iob prophete. Rome, uia Latina in cymiterio eiusdem; natalis sanctorum martirum Gordiani, et Epimachi, atque Ianuarij. Item Rome; Calepodij presbiteri et martiris sub Alexandro imperatore. Ipso die; decollatus est ab Alexandro Palmatius consul, cum uxore et filiis et aliis promiscui sexus de domo sua, quadraginta duo. Cum quibus et Simplicius senator cum uxore et filiis passus est, et familia sua fere promiscui sexus sexaginta octo, et Felix similiter cum uxore sua, Blanda. Item Rome uia Latina, ad centum aulas; sanctorum Quarti et Quinti. In Hybernia; natalis sancti Comgalli abbatis et confessoris. Eodem die; translatio sancti Laurentij Dublinie archiepiscopi.

v. Idus Maii.

E. Rome; uia Salaria miliario uicesimo secundo; natalis sancti Antimi. Eodem die; depositio beati Gengulfi egregii martiris. Viennae; beati Mamerti episcopi. Qui ob imminentem cladem solempnes ante ascensionem Domini letanias instituit.

iiii. Id. Maii.

F. Rome, in cimiterio Pretextati; natale sanctorum Nerei et Achillei fratrum, qui fuerunt euthnuchi Flauie Domitille. Quique cum ea, apud insulam Pontiam, longum pro Christo duxerunt exilium; postmodum uero ob confessionem Christi capite cesi sunt. Item uia Aurelia miliario secundo, sancti Pancrati martyris. Qui cum esset annorum quatuordecim, sub Diocliciano martirium capitis obruncatione

obtruncatione compleuit. Eodem die; beati Dionisij confessoris, patrum eiusdem beati Pancracij. Eodem tempore passa est uirgo sacratissima Sotheris nomine sub Diocleciano Augusto. Eodem die, apud Cyprum; sancti patris nostri Epiphanii Salamine episcopi.

III. Id. Maii.

- ¶ Natalis sancte Marie ad martires. Foca namque imperante, beatus Bonifatius papa, in ueteri fano quod Panteon uocabatur, ablati ydolatrie sordibus, ecclesiam beate semper uirginis Marie et omnium martirum dedicauit. Cuius dedicationis sacratissima dies agitur .iii. idus Maii. Ipso die; sancti Seruatij episcopi et confessoris Tungrensis ecclesie. *Eodem die; sancte Sithe uirginis.*

II. Idus Maii.

- ¶ Natalis patris nostri sancti Pachumi. Qui cum esset sanctus apostolice gratie insignis, fundatoque Egipti cenobiorum, scripsit monachorum regulas, quas angelo dictante didicerat; simul et de tempore Paschali. Ipso die, in Syria; natalis sancti Uictoris et Corone, sub Antonino imperatore, duce Alexandrie Sebastiano. Qui diuersis tormentorum generibus cruciati, ad extremum martirium compleuerunt.

Idus Maij.

- ¶ Natalis sanctorum confessorum, Torquati, Thesifontis, Secundi, Indaletij, Ceciliij, Esitij, Efrassij. Qui Rome a sanctis apostolis episcopi ordinati, et ad predicandum uerbum Dei ad Hispanias adhuc gentili errore implicatis directi sunt. Post predicationem uero peractam, et multos ad fidem Christi conuersos, dari miraculis, in pace quieuerunt. Apud insulam Cium; natalis sancti Ysiodori martyris.

martyris. In cuius basilica extat puteus, in quo et fertur iniectus. De cuius aqua energumini febricitantesque, uel reliqui infirmi sepius potati saluantur. Lamosacum; passio sanctorum Petri et Andree, Pauli et Dionisie.

xxij. Kal. Junij.

- C.** Apud Isauriam; natalis sanctorum Aquilini, et Uictoriani, quorum gesta habentur. Apud Autisiodorum; passio sancti Peregrini, episcopi primi ciuitatis ipsius. Et in Pagoforo Iuliensi, Uico qui uocatur Calidianus; sancte Maxime uirginis, que multis clara uirtutibus in pace quieuit. In Hybernia insula; natalis sancti Brendani abbatis et confessoris.

xxi. Kal. Junij.

- D.** In Tuscia; sancti Torpetis martiris, sub Nerone principe. Hic magnus in officio Cesaris Neronis fuit, et a beato Antonino presbitero baptizatus, et in fide Christi eruditus est. Hunc Nero cum cognouisset esse Christianum, tradidit cuidam propinquo suo satellico, ut impelleret eum sacrificare. Sed spiritu Dei confortatus, beatus uir, fideque fundatus, immobilis maneret, diuersis cruciatibus afflictus, ultimo capitis obruncatione martyrium compleuit. Decollatus est etiam cum eo quidam consiliarius Neronis, Euellius nomine, eo quod uisa constantia Torpetis Christo crediderat.

xv. Kal. Junij.

- E.** Apud Egiptum; sancti Dioscorii lectoris, in quem preses multa et uaria tormenta exercuit, ita ut ungues eius effoderet, et lampadibus eius latera inflammaret. Sed celestis luminis fulgore terri, ceciderunt ministri. Nouissime lamminis ardentibus adustus, martirium consummauit.

xiiii. Kal. Junij.

ff. Rome; sancte Potentiane uirginis. Que fuit illustrissimi generis Pudentis discipuli sancti Pauli apostoli filia. Cuius mater Sabelina, soror uero Proxedis. Quas piissimus pater earum Pudens in omni religione Christi erudiuit, uirginesque Christo reliquit. Que post obitum sancti patris, in omni exercitatione pietatis excreuerunt; et sic perfecte cum uirginitatis corona ad Christum perrexerunt. Ipso die; beatissimi Pudentis, patris supra nominatarum uirginum. Item Rome; sanctorum Collocri et Partheni, eunuchorum uxoris Decii imperatoris. Qui, cum essent, unus prepositus cubili, alter primicerius, nolentes sacrificare idolis, a Decio ccsi sunt. Corpora uero eorum iuxta uiam Appiam posita. Eodem die; sancti Dunstani, archiepiscopi Anglorum.

xiii. Kal. Junij.

G. Rome, uia Salaria; natalis sancte Basillis, uirginis et martiris Christi. Que, cum esset ex genere regio, et haberet sponsum illustrissimi nomine Popeium, per beatam Eugeniã et sanctos Protum et Iacinctum conuersa ad fidem, accusata est a prefecto sponso suo, quod esset Christiana, et idcirco gladio transuerberata, iubente Gallieno Augusto. In Gallis, ciuitate Nemauso; natalis sancti Baudelii. Qui a paganis deorum suorum sacrificia celebrantibus comprehensus, cum sacrificare nollet, et in fide Christi immobilis persisteret, martyrii palmam pretiosa morte percepit. *In Anglia apud Herefordiam beati Aethelberti regis et martiris.*

xii. Kal. Junij.

A. In Mauritania Cesariense; natalis sanctorum Timothei, Polii, et Euthichij diaconi. Qui apud prefatam regionem uerbum Domini disseminantes,

disseminantes, pariter coronari meruerunt. Item, apud Cesaream Capadocie; sanctorum Polieueti, Uictorie, Donati.

xi. Kal. Junij.

B. In Affrica; Castii et Emilii, qui per ignem passionis martirium consummauerunt. Scribit Cyprianus in libro de lapsis. Eodem die, apud Corsicam; natalis sancte Iulie que crucis supplicio coronata est. Hybernia; sancti Boetheni abbatis et confessoris.

x. Kal. Junij.

C. Apud Lingones; passio sancti Desiderij episcopi. Qui cum plebem suam ab exercitu Wandalorum uastari cerneret; ad regem eorum pro ea supplicaturus exiuit. A quo statim iugulari iussus est. Qui pro ouibus sibi creditis ceruicem libenter tetendit, et percussus gladio migravit ad dominum. Passi sunt cum eo et plures alii de numero gregis sui, et apud eandem urbem una conditi cum eo. Et apud Uiennam; sancti Desiderii episcopi, qui passus est in territorio Lugdunensi, in uilla Priscilliaci. Qui martyr modo sepultus in Uiennensi Ecclesia honorifice seruatur. In Colonia prope murum; dedicatio basilice sancti Martini confessoris in monasterio eiusdem.

ix. Kal. Junij.

D. Natalis sancti Manahen, Herodes tetrarche conlactanei; doctoris et prophete, sub gratia noui testamenti. Item beatissime Johanne, uxoris Cuse, procuratoris Herodis; quam commemorant euangeliste. In Portu Romano; natalis sancti Uincencij martyris. In Gallis, ciuitate Namnetis; sanctorum martyrum Donatiani et Rogatiani fratrum. In Histria; natalis sanctorum Zoili, Seruilij, Siluani, et Dioclis.

vi. Kal. Junij.

- Ⓔ. Rome, uia Numentana, in cymiterio Pretextati; natalis sancti Urbani episcopi et martiris. Hic sedit in episcopatu annos tres, menses decem, dies decem. Cuius doctrina sub persecutione Alexandri martirio coronati sunt. Mediolani; sancti Dionisii episcopi et confessoris. Apud Mesinam ciuitatem Dorostoro; natale sanctorum martirum Pasicratis, Ualentionis, et aliorum duorum simul coronatorum. Rome; Eleutherii pape, qui sedit annos duodecim. Eodem die; translatio sancti Francissi.

vii. Kal. Junij.

- Ⓕ. Apud Athenas; beati Quadrati episcopi, discipuli apostolorum. Item natalis sancti Quadrati martiris. In cuius sollempnitate sancti Augustini sermones habiti inueniuntur. Rome; beatorum martyrum, Sinmitrii presbiteri, et aliorum uiginti duorum. Quos Antonius imperator pro Christo puniri fecit. Tudertuscie; sanctorum Felicissimi, Herachii, Paulini. In territorio Autisiodorensi; passio sancti Prisci martiris, cum ingenti multitudine. In Britannis; sancti Augustini episcopi et confessoris. Qui missus a beato papa Gregorio, primus genti Anglorum Christi euangelium predicauit. Ipso die; Zacharie secundi eiusdem urbis episcopi. Depositio uenerabilis Bede presbiteri, qui nonagenarius obiit, die quo ipse petiit; hoc est, in ascensione dominica, ab incarnatione Domini anno septingentesimo tricesimo primo; ab obitu beati Gregorij pape centesimo uicesimo quarto.

vi. Kal. Junij.

- Ⓖ. Apud Messinam ciuitatem Dorostorensi; natalis sancti Iulii, qui tempore persecutionis, cum esset ueteranus et emerite militie, com-

prehensus ab officialibus, et Maximo presidi oblatus, nolens sacrificare idolis, et nomen Ihesu Christi constantissime confessus, capitali sententia punitus est. Eodem die; sancti Esicii martiris. In Gallis, ciuitate Arausica; sancti Eutropii episcopi, cuius uitam, illustrem uirtutibus ac miraculis, Uerus episcopus luculente sermone describit.

v. Kal. Junij.

A. Natalis sancti Iohannis pape et confessoris. Eodem die, apud Parisium; sancti Germani episcopi et confessoris. Item apud Sardiniam; sanctorum Emili, Felicis, Priami, Luciani.

iiii. Kal. Junij.

B. Rome, uia Aurelia; sancti Restituti: Uia Tyburtina; septem germanorum. Treueris; beati Maximi episcopi. A quo Athanasius persecutionem Constantij fugiens, honorifice susceptus est. Item passio sancti Coronis martiris, et filii eius, sub Aureliano imperatore, iudice Domiciano. Qui diutius afflicti, pro Christo ad extremum martirium consummauerunt. Eodem die; natalis sanctorum Sisinnii, Martirij atque Alexandrij. Qui in Amneae partibus, persequentibus gentilibus uiris, martirij coronam adepti sunt. Item sancti Alexandri martiris.

iii. Kal. Junij.

C. Rome, uia Appia in cimiterio; natalis sancti Felicis pape. Hic constituit supra memorias martirum missas celebrari. Qui cum annis quinque rexisset ecclesiam, sub Claudio principe martirio coronatus est. Turribus Sardinie; natalis Sanctorum martirum, Gabilii et Trispulii.

ii. Kal. Junij.

D. Rome; sancte Petronille uirginis. Hec fuit filia beatissimi Petri apostoli. Qui post multa miracula sanitarum, cum eam Flacus comes suo uellet coniugio sociare, tridui inducias petens, et cum sancta uirgine Felicula, collactanea sua, continuis ieiuniis et orationibus uacans, tertio die celebratis dominice oblationis misteriis, mox ut Christi sacramentum accepit, reclinans se in lectulo, emisit spiritum. Eodem die, apud Equileam; sanctorum martirum, Cancii, Canciani, et Cancianille fratrum. Turribus Sardinie; natale sancti Crescentiani.

Kal. Junij.

E. Dedicatio sancti Nichomedis martyris et presbiteri, apud urbem Romam. Cuius martyrium celebratur septimo decimo kalendas Octobris. Apud Cesaream Palestine; natalis sancti Pamphili presbiteri, uiri admirande fidei et sanctitatis. Qui sub persecutione Maximini martirio coronatus est. Ipso die; sancti Caprasi, abbatis monasterij Lurinensis. Apud Uiennam; sancti Claudusissimi episcopi.

iii. Non. Junij.

F. Rome; Marcellini presbiteri, et Petri exorciste, sub Diocleciano, iudice Sereno. Qui post multa supplicia quibus supradictus iudex eos cruciauerat, ducti in siluam nigram, qui hodie in honore sanctorum Silua Candida appellatur; et in eadem pariter iussi sunt decollari. Et qui eos decollauit; uidit animas eorum splendide ornatas ab angelis ferri ad celos. Et penitentiam agens, sub Julio papa baptizatus est in senectute sua, nomine Dorotheus. Ipso die, Lugduni; sancte Blandine cum quadraginta octo martyribus, temporibus Maro Aurelii, Neri, et Ammonii, atque Lucij
filiorum

filiorum eius. Hii omnes famuli Christi, sub prefatis imperatoribus pariter coronati sunt. Eodem die; natalis sancti Algisi confessoris.

iii. Non. Junij.

G. Apud Aretium ciuitatem Tuscie; sanctorum martirum Pergentini et Laurentini fratrum. Qui persecutione Decii sub iudice Turtio, cum essent pueri, post dira supplicia tolerata, et magna miracula ostensa, gladio cesi sunt, et eandem urbem conditi. Item in Campanie; beati Herasini episcopi et martyris, sub Diocleciano et Maximiano imperatoribus. In Hybernia; natalis sancti Coemgini abbatis et confessoris.

ii. Non. Junij.

A. Apud Illiricum, ciuitatem Scitiam; sancti Quirini episcopi. Qui persecutione Maximini, pro fide Christi, ligato ad manum molari saxo, in flumen precipitatus est. Et circumstantibus diu collocutus, ne eius terrerentur exemplo, uix precibus ut mergeretur optinuit. Huius reliquie translate sunt Romam, et posite in cathecumbas.

Nonas Junij.

B. Apud Egiptum; natalis sanctorum martirum Marciani, Nicandri, et Apollonii, quorum gesta habentur. Eodem die; passio sancti Bonifacii martiris, sub Diocleciano et Maximiano, apud Tarsum ciuitatem passi, sed Rome, in uia que Latina nuncupatur, sepulti. Item sancte Aglahe, gloriose femine, multisque uirtutibus clare. Item eodem die; sancti Bonifacii pro Christi nomine gladio perempti. et Brancij episcopi et martiris; et aliorum seruorum Dei.

biii.

iii. Idus Iunij.

C. Sancti Philippi diaconi; qui fuit unus de septem. Apud Tarsum Cilicie; martirum uiginti, sub iudice Simplicio temporibus Diocleciani imperatoris, qui per diuersa supplicia glorificauerunt deum in corporibus suis. Rome; sancti Artemii, cum uxore sua Candida, et filia Patilina. Qui sub iudice Sereno martirio coronati sunt.

iiii. Id. Iunij.

D. Constantinopolim; natalis sancti Pauli eiusdem urbis episcopi. Qui tempore Arriane perfidie, a Constantino imperatore, apud ciuitaculam quandam Capadotie, Cucussam nomine, ob catholicam fidem pulsus exilio, Arrianorum insidiis, crudeliter strangulatur, ad celestia regna migravit.

v. Id. Iunij.

E. In Galliis Suessionis ciuitatem; natalis sancti Medardij episcopi et confessoris. Item eodem die; sancti Carilefi confessoris.

vi. Id. Iunij.

F. Rome, in monte Celio; natalis sanctorum martyrum Primi et Feliciani, sub Diocleciano et Maximiano imperatoribus. Qui gloriosissimi martyres, semper in domino uiuentes, a pontificibus templorum apud imperatores quod essent Christiani incusati sunt; sed inuicti in fide Christi inuenti, post plurima tormenta gladio puniri iussi sunt. Sepulti sunt ad arcus Numentanos, intra harenarum, quinto idus Iunii, ab urbe Roma miliario quartodecimo. In Gallis, ciuitate Aginno, loco Pontiano; passio sancti Uincencij leuite et martyris. In Hibernia; natalis sanctorum abbatum Columbe

Columban
interest
of
exemplar of
C (D. 2)

RH

lumbe et Boethini successoris eius. Qui Columba occidentales partes clara luce sapientie et miraculorum, ceu sol in tenebris radians, in fide et bonis operibus illustrari fecit. Unde poeta ait. Ortus in occasu sol est mirabile ductu. Qui et nobilitatem terrenam inclitis moribus auxit. Plurimorum enim monachorum pater assistens, et profectus in peregrinatione, septuaginta et sex annis deuotus Christi miles completis, ad Christum in pace perrexit. Inicea; sancti Diomedis.

iiii. Idus Junij.

Gr. In Colonia; passio sancti Maurini abbatis et martyris. Qui perfecto agonis sui triumpho, domus tumuli celo tantum notus, et angelici tantum obsequii reuerentia ueneranda habitauit, usque ad incarnati uerbi annum nongentesimum quinquagesimum septimum. Nam quia non potuit latere sub modio lucerna ardens coram domino, dum ponendo fundamento basilice sancti Pantaleonis terra effoditur, locus gloria tibi Christe Maurini martiris inuenitur; ac primo peruidetur locum lapis claudens; inscriptus martiris nomine, et officio, et martirii eius die et loco. Hic requiescunt ossa bone memorie Maurini abbatis, qui in atrio ecclesie martirium pertulit, sub die quarto idus Iunii. Rome, uia Aurelia, miliario tercio decimo; natalis sanctorum martyrum, Basilidis, Tropicis, et Madalis, sub Aureliano imperatore, preside Platone; et aliorum uiginti martirum. Eodem die; sancti Gertulij, Amantij, Cerealis, qui sub Cilinio consule martirio coronati sunt.

iii. Idus Junij.

A. Natalis sancti Barnabe apostoli. Cuius corpus, tempore Zenonis imperatoris, ipso reuelante repertum est. Item eodem die; sancti Sustenes discipuli sancti Pauli apostoli. Apud Aquileyam; sanctorum

torum martyrum Felicis et Fortunati, sub persecutione Diocletiani et Maximiani imperatorum, preside Eufemio. Qui sub predictis imperatoribus, capitis obtruncatione martirium compleuerunt. (Eodem die; sancti Mectail.)

ii. Id. Iunii.

- Ⓐ. Mediolani; natalis sanctorum Nazarij et Celsi pueri. Beati Nazarij pater Affricanus, mater uero Perpetua, a beato Petro apostolo baptizata. Ipse uero sanctus Nazarius a sancto Clemente instructus et baptizatus est. Quem Anolinus, sub rabie persecutionis que per Neronem excitata est, diu maceratum et afflictum in carcere, cum eo etiam beatissimum puerum Celsum, quem idem nutriebat, gladio ferire iussit. Item beati Basilidis, Cirini, Naboris; sed et Nazarii et Celsi. Quos duos passos fuisse apud Hebredu-nensem urbem, antiquitas memorando celebravit.

Idus Junij.

- Ⓒ. Rome; natalis sancte Felicule, uirginis et martiris. Quam cum Flacus comes post excessum Petronille uellet ducere uxorem, atque ad terrendum eam proposuisset ei dicens. Unum tibi e duobus elige; aut esto uxor mea, aut diis sacrica; responsum ab ea accepit. Nec uxor tua ero, quia Christo sacrata sum; nec immolabo ydolis, quia Christiana sum. Tunc Flacus tradidit eam uicario, a quo crudelissime cruciata, cum corona martyrij perrexit ad Christum. (Eodem die; sancti confessoris Menisi. Eodem die; sancti Antonii confessoris fratrum minorum.

xiii. Kal. Julij.

- Ⓓ. Helisei prophete. Qui apud Samaria Palestine, que postea Sebastea, id est, Augusta, in honorem Augusti Cesaris, ab Herode

uocitari cepit, situs est. Ubi et Abdias propheta requiescat; et, quo maior inter natos mulierum non fuit, Baptista Iohannes. Suesionis ciuitate; passio sanctorum martirum, Ualerii et Rufi. Apud Cesaream Capadocie; sancti Basili episcopi et confessoris, fratris Gregorii et Petri. Uienne; sancti Eucherii episcopi.

xbii. Kal. Iulij.

Ⓔ. Apud Sciciliam; sanctorum martyrum, Uiti, Modesti, et Crescentie. Qui beatus Uitus in puerili etate uirtutibus maturus, primum a patre suo sacrilego, ut a cultura dei recederet, temptatus est; deinde a Ualeriano iudice cathomis cesus, in confessione permanens, martirio ad extremum coronatus est, cum supra dictis Modesto et Crescentia nutritoribus suis. Eodem die, apud Mesiam ciuitatem Dorostoro; sancti Esitij militaris. Qui cum beato Iulio comprehensus sub preside Maximiano, postea martirio coronatus est.

xvi. Kal. Iulij.

Ⓕ. Apud Antiochiam; natalis sanctorum martirum Cirici, et Iulite, matris eius. Qui, post dira tormenta, martyrij sui cursum obtruncatione capitis impleuerunt. Passi sunt cum eis, et alii quadringenti quatuor. Apud urbem Uesontionem; sanctorum martirum, Ferrioli presbiteri, et Ferrutionis diaconi. Qui a beato Hireneo Lugdunensi episcopo et martire ad predicandum uerbum domini missi, et sub Claudio iudice diu cruciati, ad ultimum gladio iugulati sunt. Ciuitate Mammetis; sancti Similiani episcopi et confessoris. Lugduni; depositio sancti Aureani, episcopi Aurelatensis. Apud Uiennam; Domnoli episcopi.

xv. Kal. Iulij.

Ⓖ. Rome; sanctorum martyrum ducentorum quadraginta duorum, qui positi sunt uia Salaria ueteri ad cliuum Cucumerij. Eodem die;

die; sancti Uulmari, confessoris, admirande sanctitatis et religionis uiri. Eodem die; sancti Botulfi abbatis.

xiiii. Kal. Julij.

- A. Rome, uia Ardiatina; natale sanctorum martirum, Marci et Marcelliani, preclarissimi generis; Tranquillini et Marcie filiorum eius. Qui post carceris maceracionem, et alia quam plurima tormentorum genera, iubente Fabiano iudice, lanceis per latera transfixis, cum gloria martyrii ad siderea regna migrauerunt. Eodem die; sanctorum confessorum Baithini et Furudrani.

xiii. Kal. Julij.

- B. Mediolani; natalis sanctorum Geruasii, et Prothasij, et Celsi pueri, martirum. Qui beatissimi, cum decem annos, in uno conclusi cenaculo, lectionibus et oracionibus atque ieiuniis uacassent, xi^o. ad palmam martirii peruenerunt, sub Bastatio comite. Apud Raennam; sancti Ursicini martiris. Qui sub iudice Paulino post nimia tormenta in confessione domini immobilis permanens, capitis abscisione martyrium consummauit.

xii. Kal. Julij.

- C. Siluestri pape, qui sedit Rome anno uno. Qui sentiente Iustiano imperatore; a Iuliano patricio depositus et monachus factus, in exilio confessor moritur. Rome; sancti Nouati confessoris, fratris Timothei presbiteri, qui beatis apostolis eruditi sunt. Eodem die; commemoratio parentum et benefactorum nostrorum *defunctorum*.

xi. Kal. Julij.

- D. Apud Siciliam, ciuitatem Siraculis; natalis sanctorum martirum Rufini et Marcie. Rome; sancte Demetrie uirginis, que fuit beati

Faustini filia. Hec cum ante impium Iulianum pro fide Christi introduceretur, in confessione domini emisit spiritum. Ipso die apud Mogontiam; passio sancti Albini martiris. Eodem die; translatio sancte Uurburge uirginis.

x. Kal. Julii.

- Ⓔ. In Britannis; sancti Albani martyris. Qui tempore Diocleciani, in Uerelamio ciuitate, post uerbera et tormenta acerba, capite plexus est. Sed illo in terram cadente, oculi eius qui eum percussit pariter ceciderunt. Passus est cum eo eciam unus de militibus, eo quod ferire eum iussus noluerit. Item in ciuitate Nola Campanie; natalis sancti Paulini episcopi et confessoris. Cuius uita atque uirtutes, in dialogorum libris scribit papa Gregorius.

ix. Kal. Julii.

- Ⓕ. Uigilia sancti Iohannis Baptiste. Eodem die; sancti Iohannis presbiteri. Quem impius Iulianus auditum, uia Salaria ueteri ante simulacrum solis decollari precepit. Apud Britanniam; sancte Etheldridis uirginis et regine. Cuius corpus cum undecim annis sepultum, incorruptum inuentum est.

viii. Kal. Julii.

- Ⓖ. Natiuitas beati Iohannis Baptiste, precursoris domini, Zacharie et Elizabeth filii. Qui spiritu sancto repletus adhuc in utero matris sue, et antequam exiret inde sanctificatus est, usque ad diem ostensionis sue ad Israel; confortatus spiritu agebatur in desertis, uestitus pilis camelorum, habens zonam pelliceam circa lumbos suos. Esca autem eius erat locusta et mel siluestre. Tricesimo etatis sue anno, duodecimo anno imperii Tyberii Cesaris, cum procurator esset in Iudea Pilatus, iamque regnum in quatuor principatus

patus esset diuisum, uenit in omnem regionem Iordanis, predicans baptismum penitentiae in remissionem omnium peccatorum.

vi. Kal. Iulii.

A. Apud Birriboretam; sancti Sosi *patris* discipuli sancti Pauli apostoli. Apud Alexandriam; sancti Gallicani martyris. In Scotia; sancti Lugudi abbatis et confessoris: et apud Glouerniam sancte Keneburge uirginis.

vi. Kal. Iulij.

B. Rome; Iohannis et Pauli fratrum. Quorum primus prepositus, secundus primicerius Constantie uirginis, filie Constantini. Qui cum omni die turmas Christianorum recrearent ex his opibus quas sacratissima uirgo Christi Constantia reliquerat, peruenit hoc ad Iulianum, et misit qui eos circumueniret, dicens debere sibi adherere. Illi uero contempnentes blandimenta omnia uel minas eius, iubente supradicto Iuliano, a Terrentiano decollati sunt, intra domum suam. Et ab ipso Terrentiano descripta est passio horum martyrum.

v. Kal. Iulij.

C. Apud Galatiam; beati Crescentis, discipuli sancti Pauli apostoli. Qui et in Gallias transitum faciens, uerbo predicationis multos ad fidem Christi conuertit; Uienne Galliarum ciuitati per aliquot annos presidens; ibique Zachariam discipulum pro se episcopum ordinauit, longe lateque uerbum dei per Gallias spargens. Rediens uero ad gentem cui episcopus specialiter fuerat ordinatus, Galathas usque ad beatum finem uite sue in opere domini confortauit. Apud Tyburtinam urbem Italie; natale sancte Simphorose, beati Getulii martiris uxoris, cum septem filiis, Crescente, Iuliano, Nemesio, Primitiuo, Iustino, Stacceo, Eugenio; cum quibus simul
passa

passa est, sub Adriano principe. Eodem die, Cordube, in Hispaniis; natalis sanctorum Zoili, et aliorum decem et octo.

iiii. Kal. Julij.

D. Vigilia sanctorum apostolorum Petri et Pauli. Ipso die; sancti Leonis pape et confessoris. Hic cum multis episcopis fidem Catholicam exponens, Euticianam et Nestorianam heresim dampnavit, et sanctissimum concilium Calciodonense sua industria congregari fecit. Hic constituit in actione dicere, sanctum sacrificium; et monacham non accipere uelamen capitis benedictum ab episcopo, nisi prius probata illius uirginitas fuerit. Apud Lugdunum Gallie; sancti Hyrenei episcopi et martiris. Qui beato Fotino *prope* nonagenario ob Christi martyrium coronato, in locum eius successit. Eodem die, apud Alexandriam; sanctorum martyrum, Plutarchi, Sereni, Eraclidis, Hereis. Item Sereni, Potamiane, Marcelle, et Here.

iii. Kal. Julii.

E. Rome; natalis beatorum apostolorum Petri et Pauli; qui passi sunt sub Nerone, Basco et Tusco consulibus. Petrus, secundo Claudii anno, post episcopatum Antiochensis ecclesie, ad predicationem dispersionis eorum qui de circumcissione ceciderant, in Ponto, Galatia, Capadocia, et Bithinia, ad expurgandum Symonem Magum Romam missus est. Ibique uiginti quinque annis cathedram sacerdotalem tenuit; usque ad ultimum annum Neronis, a quo affixus cruci martyrio est coronatus, capite ad terram uerso, et in sublime pedibus eleuatis; asserens se indignum, qui crucifigeretur ut Dominus suus. Sepultus est in eadem urbe in Uaticano, iuxta uiam triumphalem, qui totius orbis ueneratione celebratur. Paulus quoque post passionem Domini uicesimo quinto anno,

anno, id est, secundo Neronis, postquam Ierosalem usque ad Illiricum repleuit euangelium Christi, Romam uinctus missus est. Et sicut ipse in secunda epistola ad Tymotheum scribit, liberatus de ore leonis, uidelicet ferocissimi persecutoris Neronis, euangelium Christi in occidentis partibus predicauit. Et hic ergo quatuordecimo Neronis anno, eodem die quo Petrus, Rome pro Christo capite truncatur. Sepultus est in uia Ostiensi, anno post passionem Domini, tricesimo septimo.

ii. Kal. Julij.

ff. Celebratio iterum sancti Pauli apostoli. Item natale beatissime Lucine, discipule apostolorum. Et Lemouigas; sancti Marcialis episcopi et confessoris.

Kal. Julij.

G. In monte Hor; depositio Aaron sacerdotis primi. Item eodem die; sancte Monegundis uirginis. Et in territorio Lugdunensi, loco qui uallis Nebronna nuncupatur; depositio uiri dei, beatissimi Domiciani, abbatis, qui primus illic heremiticam uitam exercuit, et plurimos sibi in seruitionem dei aggregans monasterium instituit; magnisque uirtutibus et gloriosis miraculis ualde clarus, collectus est ad patres suos in senectute bona. Uienne; beati Martini, tercii eiusdem urbis episcopi, ab apostolis ad prefatam urbem missi. Item sancti Gagii episcopi et confessoris.

vi. Non. Julij.

A. Rome, in cimiterio Damasi; natalis sanctorum Processi et Martiniani, qui a beatis apostolis Petro et Paulo baptizati, et instructi sunt; quorum passio in libello apostolorum supra notata est. Item ipso die; sanctorum trium militum, qui cum beato Paulo apostolo
passi

passi sunt. Item sanctorum martirum, Ariston, Crescentiani, Euticiani, Urbani, Vitalis, Felicissimi, Felicis, et Marcie, et Simphorose; qui omnes apud Campaniam glorioso martirio coronati sunt. Eodem die; sancti Swithini episcopi et confessoris.

vi. Non. Julii.

B. Apud Edessam Mesopotamie; translatio corpus sancti Thome apostoli. Ipso die; Leonis pape, qui sedit menses decem Rome. Hic eloquentissimus et diuinis scripturis sufficienter instructus, Greca Latinaque fuit eruditus. Hic constituit, ut qui archiepiscopus ordinatus fuerit, nullam consuetudinem pro usu pallii in diuersis officiis persolvere debeat. Constantinopolim; sancti Eulogii. Et apud Laodiciam Syrie; beati Anatholii episcopi. Apud Neocesaream Ponti; sancti Gregorii episcopi et martiris, beati Antenodori episcopi fratris. Qui Gregorius episcopus doctrina et miraculis clarissimus fuit.

iiii. Non. Julii.

C. Osee et Aggei prophetarum. Turonis; translatio sancti Martini episcopi et confessoris, et ordinatio episcopatus eius, et dedicatio basilice ipsius. Eodem die, in Affrica; sancti Iucundiani martiris, in mare mersi. Et in territorio Bitturice ciuitatis, uico Iustino; natalis sancti Lauriani martiris. Cuius caput Hispalim, ad Hispanias, deportatum est. Apud Syrinium, sanctorum Innocentij, Sabbatie, cum aliis triginta.

iii. Non. Julij.

D. Apud Syriam; sancti Domici martiris qui uirtutibus suis multa incolis beneficia prestat. Item Rome; natalis sancte Zoe, uxoris beati Nichostrati martiris. Que dum ad confessionem beati Petri apostoli

apostoli oraret, a paganis artata, ducta est ad patronum regionis Numatie. A quo primum in custodiam obscurissimam trusa, et per dies sex omni solatio lucis et uictus fradata, septimo demum die a collo et capillis in arbore suspensa, adibito subter horribili fumo, in confessione domini emisit spiritum.

vi. Non. Julii.

E. Isaye et Johel prophetarum. Et octaue apostolorum, et primus beati apostoli Pauli ingressus in urbem Romam anno quinto Neronis imperii. Rome; sancti Transquillini, patris martyrum Marci et Marcelliani. Qui ad predicationem beati Sebastiani credens in dominum Ihesum Christum, die octauarum apostolorum dum ad beati Pauli confessionem oraret, tentus a paganis ac lapidatus martyrium consummauit. Eodem die; depositio sancti Goaris confessoris. Apud Alexandriam; sancti Panteni confessoris, uiri apostolici et omni sapientia adornati. Rome; beatorum martirum Nichostrati, Primi, Serinij, Claudii, Commentariensis, Castorii, Uictorini, Simphoriani. Qui omnes in mare mersi sunt. Apud Uiennam; sancti Eooldri episcopi, cuius industria delate sunt reliquie sanctorum martyrum Thebeorum ad urbem Uiennam. In Britannia; sancte Sexburge uirginis.

Non. Julii.

F. Apud Asiam minorem; sancte Aquile et Priscille uxoris eius, de quibus in actibus apostolorum scribitur. Apud quos beatus Paulus apostolus propter artificium, erant enim eiusdem artis, id est, scenofactorie, cuius et apostolus, morabatur et operabatur, postquam ipsi in Achaiam ab urbe Roma uenerunt. In Palestina; sancti Prochopii martiris. Qui a Scitopoli ductus Cesaream, ad primam respirationem confidentiam, irato iudice Fabiano capite

cesus est. In Anglia; translatio sancti Thome martiris Cantuariensis archiepiscopi. Et in Hibernia; sancti Maelruein confessoris.

hiii. Idus Julii.

¶. Rome; ad guttam iugiter manentem; sancti Zenonis, et aliorum decem milium ducentorum et trium. Eodem die; natalis sancti Kiliani martiris, cum sociis suis Othmanno et Thothimanno, et sancti Wlfradi confessoris.

vi. Id. Julii.

¶. In ciuitate Cyrie; sanctorum Anatolie uirginis, et Audacis. Qui sub Decio imperatore martirio coronati sunt. Eodem die; sancti Cyrilli episcopi et martyris. In ciuitate Martulana; sancti Bricij episcopi et confessoris. Qui sub iudice Marciano crudelissime cruciatus, in confessione domini permanens, diuino auxilio ereptus, et ad predicandum euangelium missus, magnasque populorum credentium multitudines omnipotenti Deo lucrificans, quieuit in pace. Cuius animam uiderunt astantes in specie columbe niuee celo recipi.

vi. Id. Julij.

¶. Rome; septem fratrum filiorum sancte Felicitatis; id est, Januarij, Felicis, Philippi, Siluani, Alexandri, Uitalis, Marcialis; sub prefecto urbis, Publio, tempore Antonini principis. Primum itaque auditi, deinde uariis tormentis afflicti, martirij coronam adepti sunt. In Affrica; sanctorum Januarij, Marini, Naboris, et Felicis decollatorum. Item Rome, miliario decimo; sanctarum uirginum, Rufine et Secunde et sororum. Que sub persecutione Ualeriani et Gallieni iudicum, ob fidem Christi capitis abscisione martyrium compleuerunt.

b. Id. Julij.

- Ⓒ. Translatio sancti Benedicti abbatis. Postquam enim, sicut ipse uiuens predixerat, monasterium eius a gentibus est uastatum, domino reuelante repertum est corpus, et in Gallis translatum; atque in territorio Aurelianensi monasterio quod uocatur Floriacum condigne sepultum. Translatum est etiam corpus pariter beate Scolastice uirginis sororis eius, atque in partibus Cenomannensium religiosorum deuotione conditum. Cuius animam idem uir dei e corpore egressam, uidit in columbe specie celi secreta penetrare. Corpusque eius iussit secum in uno poni sepulchro, ut quorum mens una semper *in domino* fuerat, eorum quoque corpora nec sepultura separaret. Eodem die, in Armane Minore, ciuitate Nicopoli; natalis sanctorum martirum, Ianuarii et Pelagie. Qui eculei unguis et testarum fragmentis diebus quatuor cruciati, martyrium impleuerunt. Rome, in Uaticano; sancti Pii pape et confessoris, qui sedit in episcopatu annos decem et octo.

iii. Id. Julij.

- Ⓓ. Apud Aquileiam; natalis sancti Ermagore, primi eiusdem ciuitatis episcopi, discipuli sancti Marci euangeliste. Apud Cyprum; beati Nasonis, antiqui discipuli Christi. Apud Cesaream; sancti Dii. Mediolani; translatio sanctorum martirum, Naboris et Felicis, et sancti Cleti pape, qui Rome sedit annos duodecim. Hic ex precepto beati Petri, uiginti quinque presbiteros in urbe Roma ordinauit. Qui sepultus est iuxta corpus beati Petri.

iii. Id. Julij.

- Ⓔ. Esdre et Johel prophetarum. Et apud Affricam; sanctorum confessorum Eugenii Cataginensis episcopi, fide et uirtutibus ac miraculis,

culis gloriosi, et uniuersi ecclesie cleri eiusdem. Qui cede inediaque marcerati, fere quingenti et eo amplius, inter quos quam plurimi erant lectores infantuli, gaudentes in domino, procul exilio crudeli extrusi sunt. In quibus nobilissimi, archidiaconus Salutaris, et Murita sacerdos, in officio ministrorum. Qui plurima pro confessione catholica perpassi supplicia, et tercio confessores effecti, gloriose in Christo perseuerantie titulo illustrati sunt.

ii. Id. Iulij.

- ƒ. Apud Pontum; natalis sancti Foce episcopi, ciuitate Sinopis. Qui sub Traiano imperatore, prefecto Affricano, carcerem, uincula, ferrum, ignem eciam pro Christo superauit. Cuius reliquie in basilica apostolorum in Gallia, ciuitate Uienna habentur.

Idus Iulij.

- ƒ. Nisibi; natalis sancti Jacobi, episcopi et confessoris. Rome, in portu Eutropi; Zosime et Bonose sororum. Apud Alexandriam; sanctorum Philippi, Zenonis, Marsei, et decem infantum. Kartagini; natalis sanctorum, Catulini, Diaconi, Ianuarij, Florentij, Iulie et Iuste: qui sunt positi in basilica sancti Fausti. Eodem die; diuisio apostolorum.

xvii. Kal. Augusti.

- ƒ. In Hostia; sancti Hylarini. Qui persecutione Iuliani, cum nolent sacrificare, fustibus cesus, martyrium sumpsit. Apud Antiochiam Syrie; natalis sancti Eustachii episcopi et confessoris. Qui sub Constantio principe ob catholicam fidem intra Ionopolim ciuitatem Tracie pulsus exilio, ibi requieuit.

xvi. Kal. Augusti.

- ƒ. In Kartagine; sanctorum martyrum Scillitanorum; id est, Separati, Narthali, Cythini, Beaturij, Felicis, Aquilini, Letacij, Ianuarie,

rie, Geroſe, Beſſie, Donate, et Secunde; ſub Saturino prefecto. Qui poſt primam Chriſti confeſſionem in carcerem miſſi, et in ligno confixi, et mane gladio decollati ſunt. Horum reliquie, cum oſſibus beati Cypriani, et capite ſancti Pantaleonis martiris, ex Affrica in Gallias translate: uenerantur Lugduni in basilica beatissimi Johannis Baptiſte. Apud Kartaginem; natalis ſancti Guddenes, qui pro Chriſto gladio ceſa eſt. Eodem die; ſancti Kenelmi, regis et martiris.

vi. Kal. Auguſti.

- Ⓒ. Sancti patris noſtri Arſeni. De quo in uerbis ſeniorum refertur; quod propter redundationem lacrimarum tergendam, ſudarium ſemper in ſinum uel in manu habuerit. Eodem die, Hiſpali, apud Hispaniam; natalis ſanctarum martyrum, Iuſte et Rufine. Apud ciuitatem Metenſium; ſancti Arnulfi epiſcopi. Qui ſanctitate et miraculorum gloria illuſtris, hermeticam uitam diligens, beato fine quieuit.

xiii. Kal. Auguſti.

- Ⓓ. Natalis beati Joſeph qui cognominatus eſt Iuſtus: quique cum beato Mathia, ut numerum duodecim impleret, ab apoſtoliſ ſtatuitur. Sed Mathia locum Iude preuaricatoris implente, beatus Joſeph nichilominus predicationis et ſanctitatis officio inſeruiens, multamque pro fide Chriſti perſecutionem a Iudeis ſuſtinens, uictorioſiſſimo fine in pace quieuit.

xviii. Kal. Auguſti.

- Ⓔ. Apud Damascum; natalis ſanctorum, Sabini, Iuliani, Macroſii, Maximini, Caſſii, Paule, cum aliis decem. Eodem die; paſſio ſanctæ Margarete uirginis. In pago Bonomenſi; ſancti Uulmari confeſſoris.

xii. Kal. Augusti.

F. Rome; sancte Praxedis, uirginis. Hec, cum sorore sua beata Potentiana, a sanctissimo patre Prudente, qui fuit edoctus in fide ab apostolo Paulo, in omni castitate et lege diuina erudita, post transitum parentis uigiliis et orationibus atque ieiuniis assidue uacans, omne patrimonium suum, simul cum predicta beata sorore, in sustentatione pauperum Christi et sanctorum erogauit, et beatissima uirgo migrauit ad dominum, coronam iusticie receptura. In Galliis, ciuitate Massilia; sancti Uictoris, martiris. Qui, persecutione Diocleciani et Maximiani, cum nollet sacrificare, martirio coronatus est. Passi sunt cum eo tres milites, Alexander, Felicianus, et Longinus. Puer quoque Eleutherius, dum ad sepulchrum eius oraret, emisit spiritum.

xi. Kal. Augusti.

G. Natalis sancte Marie Magdalene; et beate Sintices, que Philippis dormit sepulta. De qua beatus apostolus Philipensibus scribit. Euchodiam rogo et Sinticen deprecor, id ipsum sapere in domino. Ancira, Galathie; natalis sancti Platonis, martiris, cuius gesta habentur. Et ipso die; sancti Uuandregisili, abbatis et confessoris.

x. Kal. Augusti.

A. Apud Rauennam; natalis sancti Apollinaris, episcopi. Hic ab Antiochia secutus apostolum Petrum ad urbem Romam, ab eodem apostolo ordinatus, missus Rauennam, rexit ecclesiam annos uiginti et octo, mense uno, diebus quatuor. Post innumera uero supplicia, que pro Christo perpressus est, nouissime martirium sub Uaspasiano Cesare, Demostene patricio, die decimo calendarum Augusti compleuit.

ix. Kal. Augusti.

24. **B.** Rome, uia Tyburtina, miliario decimo; natalis sancti Vincentii, martiris. Apud Emeritam, Hispannie ciuitatem; sancti Victoris, militaris, qui cum duobus fratribus, Stercatio, et Antinogeno, diuersis examinatus suppliciis, martirium sumpsit. Eodem die, apud Italiam, in Tyro, que est circa lacum Uulsinum; natalis sancte Christine, uirginis et martiris. Ipso die; sanctarum Necete et Aquiline, que ad predicationem beati Christofori martiris ad Christum conuerse, martirii palmam capitis abscisione sumpserunt. Et apud Amiterninam ciuitatem; militum septuaginta sex.

biii. Kal. Augusti.

25. **C.** Natalis sancti Jacobi Zebedei apostoli. Eodem; in Licia ciuitate Samon; natalis sancti Christofori. Qui uirgis ferreis attritus, et a flammis estuantis incendii Christi uirtute saluatus, ad ultimum sagittarum ictibus confossus, martyrium capitis obruncatione compleuit. Et in Hispannie ciuitate Barcinona; sancti Cucufatis, martiris. Qui ex ciuitate Scillitana oriundus fuit, et Barcinone, sub Galerio et Maximiano, et Rufino, gladio necatus est. Metis; sancte Glodesindis, uirginis. Cuius sepulchrum crebris miraculis illustratur.

bii. Kal. Augusti.

26. **D.** Rome, in Portu; sancti Iacincti, martiris sub consulari Leontio, Luxurio primo ciuitatis Terrancine tradente. Qui missus in ignem nullo modo ledi potuit. Inde precipitatus in ualidissimum torrentem incolimis eiectus est ad litus. Nunciantur hec consulari Leontio, et misit spiculatorum cum militibus, ut eum comprehensum gladio ferirent. Tunc quedam matrona, nomine
Iulia,

Iulia, ueniens nocte cum seruis suis, colligit corpus eius, et cum honore sepeliuit, in predio suo iuxta urbem Romam. Et dedicatio sancti Saluatoris, in Prumia.

vi. Kal. Augusti.

- Ⓔ. Apud Nichomedia ciuitatem; natalis sancti Hermolei, presbiteri. Cuius doctrina beatus Pantaleon ad fidem conuersus est. Qui tentus a Maximiano, capitali sententia ob confessionem Christi, punitus est. Metis; depositio sancti Fronimi, episcopi et confessoris. Eodem die, in Sicilia; Symeonis, monachi. Et apud Ephesum; septem dormientium.

v. Kal. Augusti.

- Ⓕ. Nichomediae; passio sancti Pantaleonis. Qui cum, iubente Maximiano, artem disceret medicine, a presbitero Ermolao ad fidem Christi conuersus, multa fecit miracula, patremque suum Eustorgium senatorem Christi fidei subiugauit. Ob quam causam tentus ab eodem Maximiano, eculii pena, et lampadum exustione cruciatus est. Sed inter hec domino sibi apparente refrigeratus, tandem ictu gladii martyrium consummauit. Eodem die, Lugduni; sancti Peregini, presbiteri et confessoris. Item ipso die; sancti Sampsonis, episcopi et confessoris.

iiii. Kal. Augusti.

- Ⓖ. Rome, uia Aurelia; beati Felicis pontificis, sub Constantio filio Constantini martyrio coronati. Eodem die; sanctorum martyrum, Simplicii, Faustini, et Beatricis, temporibus Diocletiani et Maximiani. Qui, post diuersa ac multa supplicia, iussi sunt capitalem sententiam subire. Trecas; depositio sancti Luppi, episcopi et confessoris. Eodem die; sancti Olau, regis et martiris.

iii. Kal. Augusti.

- Ⓐ. Rome; sanctorum Abdon et Sennes, subregulorum; qui persecutione Decii, diuersis cruciatibus afflicti, martyrium complerunt. Apud Affricam, ciuitatem Tuburbo Lucernarie; natalis sanctarum uirginum Maxime, Donatille, et Secunde; que persecutione Gallieni sub Anulino iudice passe sunt.

ii. Kal. Augusti.

- Ⓑ. Cesarie; passio sancti Fabii, martyris, capitali sententia ob confessionem Christi puniti. Eodem die, apud Gallias; sancti Germani, Autisiodorensis episcopi, et confessoris. Reliquie sanctorum, que a tempore Donati, primi Dublinie ciuitatis episcopi, usque ad tempus Gregorii *eiusdem urbis* episcopi, in quadam capsula latuerunt, in uno cum eadem capsula posite sunt scrinio; scilicet: de cruce domini, de cruce sanctorum apostolorum Petri et Andree. De baculo sancti Petri; et de cathena eius. De sandalis sancti Siluestri pape. De reliquiis undecim milium sanctarum uirginum. De reliquiis sancte Pinnose, uirginis et martiris. De ueste sancte Marie. De sepulchro Domini et Lazari. De sepulchro Audoeni, episcopi et confessoris; et de reliquiis sancti patris Benedicti. De reliquiis sancti Basillii episcopi, et Germani episcopi. De uestimento sancti Olai regis. De uestimento Herberti, Coloniensis episcopi. De reliquiis Dauid confessoris. *Item de reliquiis sancti Patricij Hiberniensium apostoli. Item de reliquiis sancti Laurencij Dublinie archiepiscopi.*

Kal. Augusti.

- Ⓒ. Rome; ad sanctum Petrum ad uincula. Uienna; sancti Seueri, episcopi, qui unus fuit de discipulis apostolorum. Et sancti

Nectarii, episcopi. Antiochie; natale sanctorum Machabeorum. Apud Italiam, ciuitatem Uercellus; sancti Eusebii, episcopi et confessoris. Apud Arabiam, ciuitate Philadelfia; natalis sanctorum martyrum, Cyrille, Aquile, Petri, Domiciani, Rufi, Menandri, una die coronatorum. In Hispanis, ciuitate Gerunda; natalis sancti Felicis martyris. *Item. In Britannia maiori foras murum ciuitatis Exonie; uig. sancte Satiuole, uirginis et martiris.*

iiii. Non. Augusti.

D. Rome, in cimiterio Calixti; natalis sancti Stephani, pape et martiris, sub Ualeriano et Galieno imperatoribus. Hic constituit ut sacerdotes et leuite uestes sacras in cotidiano usu non haberent, nisi tantum in ecclesia. Ipso die; sanctorum martyrum, Nemesii, Lucille, *Olimpij, Experie, Theodoli.* In prouincia Bythinia, urbe Nicea; natalis sancte Theodote cum tribus filiis suis, ignibus combustorum tempore Diocleciani, sub Nicetio consulari, et comite Leocadio. Apud Uiennam; sancti Iusti, episcopi et confessoris, eximie sanctitatis uiri, sub tempore Antonini imperatoris cognomento.

iii. Non. Augusti.

E. Ierosolimis; inuentio corporis beatissimi Stephani prothomartiris. Et sanctorum Gamaliele, Nichodemi et Abilon, sicut reuelatum est a domino beato presbitero Luciano, septimo Honorij principis anno. Constantinopolim; sancti Ermelli, martyris.

ii. Non. Augusti.

F. Natalis beati Aristarchi, discipuli sancti Pauli apostoli. Rome, in cipta harenaria; beati Tertullini martiris. Qui sub Ualeriano imperatore, post superata diuersa tormenta, gladio uitam finiuit. Apud Lugdunum; aduentus corporis sancti Iusti de heremo.

Non.

Non. Augusti.

G. Apud prouintiam Rehtie, ciuitate Augustana; natalis sancte Affre. Que cum esset pagana et meretrix, per doctrinam sancti Narcis episcopi ad Christum conuersa, et cum omni domo sua baptizata, pro confessione domini igne tradita est. Augustidum; natalis sancti Cassiani episcopi. Eodem die; sancti Oswaldi, regis et martyris.

biii. Idus Augusti.

A. Rome, uia Appia, in cimiterio Calixti; natalis sancti Sixti, episcopi et confessoris. Et cimiterio Pretextati; sanctorum, Sixti episcopi, Felicissimi et Agapiti diaconorum, sub Decio imperatore, Ualeriano prefecto. Qui tenuit beatum Sixtum, episcopum Romanum, cum omni clero suo, et reclusit eos in custodia publica, et fuerunt ibi clausi multis diebus. Post innumera uero tormenta que pro confessione Christi passus est, tandem capitis abscisione una cum predictis diaconibus martyrium compleuit. Decollati sunt cum eis et alij quatuor, Ianuarius, Magnus, Uincencius, Stephanus. Passus est cum eis et beatus Quartus, ut scribit beatus Cyprianus. Eodem die, in Hispaniis, ciuitate Compluto; puerorum Iusti et Pastoris fratrum. Qui pro nomine Christi gladio iugulati sunt. Eodem die; transfiguratio domini.

bii. Id. Augusti.

B. Apud Tusciam ciuitatem Arcium; natalis sancti Donati, episcopi et martiris. Eodem die; Hylarini, monachi, ob confessionem Christi gladio necati. Rome; sanctorum martirum, Petri, Iuliane, cum aliis octodecim. Apud Mediolanum; sancti Faustini, tempore Aureliani Commodi martirizati.

vi. Id. Augusti.

C. Rome; uia Ostensi, miliario septimo; natalis sancti Cyriaci, martyris, cum aliis numero uiginti et uno. Qui omnes iubente Maximiano Augusto, pro confessione nominis Christi gladio iugulati sunt. Et apud Uiennam Gallie urbem; sancti Scuerini, presbyteri et confessoris.

v. Id. Augusti.

D. Uigilia sancti Laurentii. Eodem die, Rome; sancti Romani, militis. Que confessione sancti Laurentii compunctus, petiit ab eo baptizari, et mox, iubente Decio, fustibus exhibitus et decollatus est.

iiii. Id. Augusti.

E. Natalis sancti Laurencij, archidiaconi et martiris, sub Decio. Cui beatus Sixtus omnes facultates sue ecclesie et thesauros, pergens ad coronam martirii, tradidit. Eodem die, Rome; militum sexaginta quinque. Tunc passi sunt Claudius, Seuerus, Crescentius, et Romanus, ipso die quo beatus Laurentius, post tercium diem sancti Sixti. Metis ciuitate; depositio sancti Auctoris, episcopi et confessoris. Et in Scotia; sancti Blani, abbatis.

iii. Idus Augusti.

F. Rome, inter duos Lauros; natalis sancti Tyburtii, martiris, filii Cromacii, urbis prefecti. Quem erudierunt in fide beatus Sebastianus, et sanctus Tranquillinus, ac gloriosus Policarpus presbyter. Qui tentus a Fabiano prefecto, postquam in fide Christi inuictus repertus est, ac diuersis examinatus suppliciis, dictus est, in uia Lauicana quarto miliario ab urbe, unoque ictu gladii percussus abscessit. In eodem loco a quodam parente Christiano sepultus

sepultus est, tercio idus Augusti. Eodem die, Rome; sancte Sussanne, uirginis et martiris, sub Diocleciano et Maximiano Augusto, iudice Macedonio.

ii. Idus Augusti.

¶. In Sicilia, ciuitate Cathena; natalis Euplii, diaconi, sub Diocleciano et Maximiano Augustis, ob fidem Christi capite cesi. Eodem die; sancte Hylarie, matris sancte Affre, martyris. Que cum ad sepulchrum eius excubaret, ibidem pro fide Christi a persecutoribus igni tradita est, cum Digna, et Eumenia, et Euperpia. Rome; natalis sanctorum Crissanti et Darie.

Idus Augusti.

¶. Rome; sancti Ypoliti, martiris, sub Decio imperatore, Ualeriano prefecto. Hunc beatum Ypolitum uicarium sanctus Laurentius, cum esset in custodia, baptizauit. Qui post multas interrogationes ac supplicia immobilis in fide Christi permanens, iubente Decio ductus est foras muros porte Tyburtine cum familia sua, et decollati sunt coram eo, promiscui sexus numero decem et nouem. Ipse uero, ligatis pedibus ad colla indomitorum equorum, sic per cardetum et tribulos tractus, emisit beatum spiritum. Eodem die; sancte Concordie, martiris, nutricis eiusdem beati Ypoliti. Eodem die, Frosille; natalis sancti Cassiani, martiris. Eodem die; sancte Radegundis uirginis.

xix. Kal. Septembris.

¶. Uigilia assumptionis sancte Marie. Eodem die; natalis sanctorum confessorum ac presbiterorum, Eusebii atque Gregorij.

xbiii. Kal. Septembris.

- Ⓒ. Sancte Dei genitricis Marie dormicio. Eodem die, sancti Thrasistii acoliti, martyris. Quem pagani cum uenissent Christi corporis sacramenta portantem, ceperunt discutere quid gereret. At ille indignum iudicans porcis proderet margaritas, Tandiu fustibus ac lapidibus mactatus est, quousque exalaret spiritum. Et reuoluto eius corpore, sacrilegii discussores, nil potuerunt in eius manibus uestimentisque inuenire sacramentorum Christi. Christiani autem collegerunt corpus martyris, et sepelierunt in cimiterio Calixti, uia Appia.

xbii. Kal. Septembris.

- Ⓓ. In Nicea Bitinie; sancti Ursacii confessoris, sub Licinio persecutore. Hic quidem derelicta milicia, solitariam uitam in quadam turre urbis egit, tantisque uirtutibus claruit, ut demones expulisse, et ingentem draconem orando interemisse legatur. Scriptum in libro secundo historie ecclesiastice tripartite. Rome; sancte Serene, uxoris quondam Diocleciani Augusti. Eodem die, Metis; natalis sancti Arnulfi, episcopi et confessoris, admirande uirtutis uiri.

xbi. Kal. Septembris.

- Ⓔ. Apud Affricam; sanctorum martirum, Liberati, abbatis, Bonifacii, diaconi, Serini et Iustini, subdiaconorum, Rogati et Septimini, monachorum, et Maximi, pueri. Qui persecutione Uandalica sub impiissimo rege Hunirico, pro confessione catholice fidei, gloriosissimo cursu martirium consumauerunt. Et apud Cesaream Cappadocie: natalis sancti Mammetis, martiris: qui passus est imperante Aureliano sub Alexandro preside. Eodem die; octaue sancti Laurentii, martiris.

xv. Kal. Septembris.

F. Apud Prenestinam ciuitatem, miliario ab urbe tricesimo tertio; natalis sancti Agapiti, martyris, sub Aureliano imperatore, preside Antiocho. Qui diutissime cruciatus, ad extremum inuictissimum permanens in fide Christi, gladio iugulari iussus est. Eodem die, Rome, in sexto Philppi; beatorum presbiterorum, Iohannis et Crispi. Qui persecutione Diocleciani et Maximiani, multa sanctorum corpora officiosissime sepelierunt. Quorum meritis, et ipsi post modum sociati, gaudia uite meruerunt.

xiiii. Kal. Septembris.

G. Natalis sancti magni, seu sancti Andree martirum, cum sociis suis duobus milibus, quingentis nonaginta et septem. In Gallis, pago Sigesterico, in monte qui dicitur Lura; sancti Donati presbiteri. Qui ab ipsis infantie rudimentis mira dei gratia preditus, ex urbe Aurelianensi ad prefatum locum, ut soli deo uacaret, adueniens, anachoriticam illic uitam multis annis exegit, et perfectus uirtutibus, clarusque miraculis quieuit. Rome; beati Iulii senatoris et martiris. Et in Hybernia; *sancti Mochthei* confessoris.

xiii. Kal. Septembris.

A. Sancti Samuelis prophete. Cuius sacra ossa Augustus Archadius de Iudea transtulit Tartiam. Portantibus autem episcopis, et omnium ecclesiarum populis, tanta occurrentibus leticia facta est, quasi presentem uiuentemque cernerent atque susciperent, et de Palestina usque Calcidonem iungerentur agmina populorum, et in Christi laude una uoce resonarent. Scribit sanctus Ieronimus in libro contra Uigilantium. Eodem die; Porphirii, hominis dei, qui sanctum martirem Agathonem erudiuit in fide et doctrina Christi.

xii. Kal. Septembris.

B. In territorio ciuitatis Gauallitane, uico Minatensi; sancti Priuati, episcopi et martiris: qui passus est persecutione Ualeriani et Gallieni. Eodem die; natalis sanctorum martirum, Bosonii et Maximiani; quorum gesta habentur. Et in ciuitate Salona; natalis sancti Anastasii, martiris; qui sub Aureliano imperatore martirio coronatus est.

xi. Kal. Septembris.

C. Rome, uia Ostiensi, in cimiterio eiusdem; natalis sancti Timothei. Qui tempore persecutionis, tentus a Tarquinio urbis prefecto, cum sacrificare idolis noluisset, tertio cesus et grauissimis suppliciis attractatus, ad ultimum decollatus, et iuxta beatum apostolum Paulum sepultus est. Eodem die, Augustoduno; sancti Symphoriani. Qui tempore Aureliani imperatore sub Eraclio, consulari, cum idolis sacrificare nollet, primo uerberibus affectus, deinde carcere mancipatus, ad ultimum ceso capite, martyrio consummauit. In portu Romano; sanctorum peregrinorum martirum, Marcialis, Epitetli, Saturnini, Aprilis et Felicis cum sociis eorum. Item Rome; beati Antonini, martiris. Ipso eodemque die; octaue sancte Marie matris domini.

x. Kal. Septembris.

D. Natale sanctorum martyrum, Donati, Restituti, Ualeriani, Fructuose, cum aliis duodecim, preclarissimo confessionis honore apud Antiochiam coronati. Eodem die, beati Theonis, apud Alexandriam, uenerabilis et deo digni; qui beatum episcopum post et martirem nutriuit, in omni puritate et animi uirtutibus clari. Eodem die; beati Zachei, episcopi; qui quartus a Iacobo Ierosolimorum ecclesiam clarissime rexit. Lugduno, Gallie; natalis sanctorum

sanctorum martyrum, Minerui et Eleazari cum filiis octo; quorum corpora in cripta, que urbi ab occidente imminet, condita habentur. In portu urbis Rome; natalis sancti Ypoliti, Quiriaci, et Arcillai. Eodem die; sanctorum Thimothei et Apollinaris; qui apud Remensem urbem consumato martirio, celestia regna meruerunt. Eodem die; sancti confessoris et episcopi Cogani.

ix. Kal. Septembris.

- Ⓒ. In India; sancti Bartholomei, apostoli. Apud Cartaginem; sanctorum martirum trescentorum, qui passi sunt tempore Ualeriani et Gallieni. Qui beatus exercitus, eo quod in clibanum calcis accensi dispersi sunt, massa candida nuncupatur. Apud Rotomagum; depositio sancti Audoeni, episcopi et confessoris.

vi. Kal. Septembris.

- Ⓕ. Rome; sancte Genesi, martiris. Qui primus in urbe inimitile artis magister fuit. Postea tamen inspiratus a deo credidit. Hunc cum uellet Dioclecianus imperator a fide reuocare, immobilis permanens martirii coronam capitis obtruncatione promeruit. Ipso eodemque die; sancti Genesii martiris Arelathensis. Rome; natalis sanctorum martyrum, Eusebii, Ponciani, Peregrini, atque Uincentij. Eodem die; sancti Michee *episcopi*, confessoris.

v. Kal. Septembris.

- Ⓖ. Rome; sancti Zepherini pape, qui rexit ecclesiam annos octo, menses septem, dies decem. Apud Uictimilium castrum Italie; natalis sancti Secundi, martiris et ducis, ex legione sanctorum Thebeorum. Qui ante beatum Mauritium et ceteros, post uinacula et carcerem, martyrium capitis abscisione compleuit. Apud urbem Italie que Pergamis dicitur; natalis sancti Alexandri, sub Maxi-

miano Cesare gladio iugulati. Eodem die; depositio sancti Anastasij pape et martiris.

vi. Kal. Septembris.

22 **A.** Apud Capuam; sancti Ruphi, martiris. Quem docuit et baptizavit beatus Apollinaris, Petri apostoli discipulus, cum esset idem Ruphus patricie dignitatis. Thomis; natalis sanctorum martirum, Marcellini tribuni, et uxoris eius Manee, et filii ipsius Iohannis, et Serapionis clerici, et Petri militis. In Galliis, ciuitate Arelatensi; sancti Cesarii episcopi et confessoris, mire sanctitatis et pietatis studio uiri. Apud Augustudunum; sancti Siagri, episcopi et confessoris.

v. Kal. Septembris.

28 **B.** Beatissimi Hermetis, martiris. Hunc illustrissimum uirum, beatus Alexander pontifex et martir, cum esset prefectus urbis Rome, baptizauit cum uxore et filiis, ac sorore Theodora, et cum eo pariter mille ducentos quinquaginta seruos eius, uxores quoque et filios eorum, prius ingenuitate illis concessa. Non post multum temporis, ipse ab Aureliano imperatore trusus in carcere, ultimo martirio consummatur. Ipso die in Affrica; depositio sancti Augustini, episcopi et confessoris. Hic beatus episcopus spiritu diuino tactus, in sancta ecclesia catholica ob instructionem animarum fecit libros, tractatus, epistolas, numero mille triginta, excepto qui numerari non possunt. Qui primum de sua ciuitate propter barbaros Sardiniam translatus, nuper Eleubrando rege Longobardorum Cicinis relatus, honorifice conditur est. Ipso die, Briuato; natalis sancti Iuliani, martiris. Constantinopolim; sancti Alexandri, episcopi et confessoris. Eodem die, apud Sanctonas; sancti Iuliani, episcopi et confessoris.

iii. Kal. Septembris.

C. Rome, in Aduentino oppido Uindinense ad arcum Faustini; beatissime et illustrissime Sabine martiris, que fuit uxor preclarissimi quondam Ualentini, et filia Horodis metallarii, que passa est Adriano imperante, sub prefecto Helpedio. Eodem die; ueneratur decollatio sancti Iohannis baptiste. Qui primo in Samaria conditus est, nunc in Alexandria. Porro caput de Ierosolimis ad Fenitie urbem delatum est. Ipso die, Metis; depositio sancti Aldelfi, episcopi et confessoris.

iii. Kal. Septembris.

D. Rome, uia Ostiensi, miliario secundo ab urbe; beatissimorum martirum Felicis et Adaucti, decollatorum sub Diocliciano et Maximiano imperatoribus, prefecto et iudice Dracontio. Huius secundi martiris nomen quod non inuenerunt, post modum Christiani Adauctum appellauerunt, quod secundo martiri Felici auctus sit, ipsique pro fidei confessione corona martirii aucta.

ii. Kal. Septembris.

E. Treueris; sancti Paulini, episcopi et confessoris. Qui tempore Arriane infestationis, a Constantio imperatore ob catholicam fidem exilio religatus, et usque ad mortem extra Christianum nomen mutando exilio fatigatus, ad ultimum apud Frigiam defunctus, beate passionis coronam percepit a domino. Eodem die, apud Athenas; beati Aristidis confessoris. Item, ipso die; sancti Edani, episcopi et confessoris.

Kal. Septembris.

F. Ihesu Naue, et Gedeon, prophetarum. Apud Capuam uia Aquaria; natalis sancti Prisci, martiris; qui unus fuit de illis antiquis

Christi discipulis. Eodem die, apud Senonas; beati Lupi, episcopi, sanctitate et signis miraculorum illustrissimi. Item, apud Cesaream Capadotie; beati Longini militis et martiris. Quem tradunt illum esse qui lancea latus domini nostri Iesu Christi pendentis aperuit in cruce. Hic postmodum baptizatus ab apostolis, pro confessione Christi capite truncatus est. Simul cum eo coronatus est Aforodisius Commentariensis. Eodem die; sancti Egidii, abbatis et confessoris.

iii. Non. Septembris.

G. Natalis sancti Iusti Lugdunensis episcopi, mire sanctitatis *et* prophetici spiritus uiri. Hic clam episcopatum suum relinquens, ascensa naui, comite secum uno tantum puero, qui officio lectoris in ecclesia erat, nomine Uiatore, peruenit ad Egiptum. Ubi per aliquot annos sanctis monachis celum solum expectantibus consociatus, humilitate et sanctitate non mediocris uixit. Cursu itaque consummato, ipse quoque uirtutibus consummatus, repositam sibi coronam iusticie percepturus, migrauit ad dominum. Eodem die; beati Helpidii, episcopi et confessoris, apud prefatam urbem uenerabilis depositio. Eodem die; sanctorum, Lomani, et Colmani, et Macnisi.

iii. Non. Septembris.

A. Rome; passio sancte Serapie uirginis. Que multis interrogationibus sub Adriano principe, ac iudice Berillo, exanimata, nouissime gladio uitam finiuit. Apud Capuam; sanctorum martirum, Antonini, pueri annorum uiginti, et Aristei episcopi: quorum gesta habentur. Ciuitate Tullensi; festiuitas sancti Mansueti, episcopi et confessoris. Qui ibidem sepultus, creberrimis pollet miraculis. Eodem die; sancti Remacii, episcopi et confessoris: cuius

cuius corpus requiescit super fluuium Amblauia. Et in Hibernia; sanctorum confessorum Colmani sotiorumque eius.

ii. Non. Septembris.

- B.** Moysi prophete. Et apud Ancirram Galatie; natalis sanctorum martirum, trium puerorum, Rufini, Siluani, et Uitalice. Cabilonice; natalis sancti Marcelli, martiris. Eodem die, apud Uirdunum; sanctorum confessorum et pontificum, Mauri et Siluani. Et in Hibernia; sancti Ultani, episcopi et confessoris.

Non. Septembris.

- C.** In Suburbano Rome; beati Uictorini martiris. Qui primo abiectis mundi huius curarum tumultibus, heremi secreta expetens, postea electus ab uniuerso populo Amiternine urbis sacerdotium adipiscitur. Inde post modum sub imperatore Nerua cum aliis dei seruis, Eutiche et Marone, ab Aureliano iudice religatur, sexagesimo miliario ab urbe uia Salaria, deinde apud eum locum qui Cotilias appellatur, ubi patentis aque emanant et sulfuree, in ipsis capite deorsum per horas tres suspenso teneri, ab impio iudice iussus est. Quod cum per triduum, pro nomine Christi passus fuisset, gloriose coronatus migravit ad dominum. Item Rome, in portu; natalis sancti Herculani. Capue; sanctorum, Quinti, Arcencii, et Donati.

biii. Idus Septembris.

- D.** Zacharie, prophete. Et natalis beati Honesiphori, apostolorum discipuli. Et apud Affricam; beatissimorum confessorum et episcoporum, Donatiani, Presidii, Mansueti, Germani et Fusculi. Qui persecutione Wandalica apud Affricam, iussu Hunirici regis Arriani, pro assercione catholice ueritatis, diutissime fustibus cesi, et exilio

exilio dampnati sunt. Inter quos etiam episcopum, nomine Letum, strenuum atque doctissimum uirum post diuturnos carceris scalores incendio concremauit. Eodem die; Maculini, episcopi et confessoris.

vii. Id. Septembris.

C. Natale beati Iohannis apud Nichomediam, sub Diocliciano imperatore. Qui de nobilibus honore et dignitate dei illustris, uidens aduersus cultores dei in foro crudelia edicta pendere, calore nimio fidei ignitus, publice populo inspectante, iniecta manu librum unice legis detrahit, ac minuatim discerpit; Augusto Diocleciano in eadem urbe simul cum Maximiano Cesare constituto. Ad quos cum relatum esset religiosi et illustris uiri factum, continuo in eum omni crudelitatis genere deseuentes, nec hoc quidem solum efficere quiuerunt, ut eum modestum aliquis uideret in penis; sed leto atque hilari uultu, cum iam uiscera in suppliciis defecissent, spiritus tam letabatur in uultu, ex quo tortores sui grauius cruciabantur. Qui cum omnium suppliciorum genera consummasent in eum, nec tristem quidem illum ex his reddere potuerunt.

vi. Id. Septembris.

Jf. Natiuitas sancte Dei genetricis Marie. Eodem die, apud Nichomediam; natalis sancti Adriani martiris, cum aliis uiginti tribus, qui sub Maximiano rege, *cum* supradictis uiginti tribus, diuersis excruciatu suppliciis, martirium consummauit. Natalia uero uxor beatissimi supradicti martiris Adriani, de Nichomedia, sanctorum martirum amore, Bizantium enauigans, post paucos dies aduentus sui, dormitionem accepit a domino, et iuxta sanctorum corpora sepulta est; kal. Decembris. Passio horum martirum, sexto idus Septembris.

6. Id. Septembris.

9
G. Sergii pape, qui sedit annos tresdecim Rome. Hic inuenit mire magnitudinis portionem ligni salutaris dominice crucis in sacrario beati Petri. Apud Nichomediam; passio beatorum martirum, Dorothei, et Gorgonii, sub Diocletiano imperatore. Horum prior Derotheus magister in officiis, que intra palatium exhibebantur, erat cubili regii prepositus, habens secum, officio, fide, et magnanimitate parem Gorgonium. Quorum institutionibus optimis, omnes pene cubiculi ministri in fide dei uigilanter et libere persistebant. Hi denique cum uiderent quendam martirem crudelibus atque immanibus supplicibus cruciati, constanter et libere aiunt. Cur imperator punis in hoc solo sententia, quod in nobis omnibus uiget? Ut quid in illo crimen ducitur, quod a nobis omnibus confitetur? Hec nobis fides; hic cultus unanimis eodemque sententia. Quos ille cum in medium uenire iussisset, iussit eos appendi, et flagris toto corpore laniari, et uisceribus iam pelle nudatis, aceto et sale perfundi. Cumque hoc tormenti genus constanter ac fortiter tollerassent, craticula prunis subter strata poni iubentur in medio, ibique quod reliquum fuerat in uerberibus assumpti corporis superponi, et non ad subitum, sed sensim paulatimque succendi. Ad ultimum laqueo appensos, precepit necari. Interiecto tempore beatus Gorgonius Romam transfertur, positusque est uenerabiliter uia Latina inter duos lauros. Post multum uero temporis, sanctissimum corpus eius hinc rursus translatum est ad Gallias, positumque iacet in loco qui dicitur Gorzia, sexto miliario ab urbe Metensi. In Sabinis, miliario tricesimo ab urbe; natalis sanctorum, Iacincti, Alexandri, Tyburcii. Eodem die; natalis sancti Bertelini, confessoris.

iiii. Id. Septembris.

10
A. Apud Affricam; sanctorum episcoporum, Nemesiani, Felicis, Lucii. Item, Felicis, Lutei, Poliani, Uictoris, Iaderis, et Datiui. Qui sub Decio et Ualeriano exurgente persecutionis rabie, ad primam confessionis Christi constantiam grauiter fustibus cesi, deinde compedibus uincti, et ad fodienda metalla deputati, gloriose confessionis agonem consummauerunt. Eodem die, in Calcidonia; sanctorum confessorum Sostenis et Uictoris.

iii. Id. Septembris.

11
B. Rome, uia Salaria, uetere in cimiterio Bassille; natalis sanctorum, Prothi et Iacincti, qui erant eunuchi beate Eugenie uirginis. Cum qua ab Heleno episcopo baptizati sunt, aliquando tempore diuinis solum eruditionibus uacantes, in sancto proposito perstiterunt. Non multo post, ob confessionem Christi, sub Gallieno imperatore, decollati sunt.

ii. Id. Septembris.

12
C. Apud urbem Tycinum, que et Appia dicitur; sanctorum confessorum, Syri et Yuencij. Qui a beato Hermagore Aquilemse pontifice, discipulo sancti Marci euangeliste, ad prefatam urbem directi, primi illic Christi euangelium predicantes, et magnis uirtutibus ac miraculis coruscantes, etiam uicinas urbes Ueronensem scilicet, et Brixenam, et Laudunensem, diuinis operibus illustrauerunt. Sicque in pontificali honore, fundata et confirmata fide credentium populorum, glorioso fine quieuerunt in pace.

Idus

Idus Septembris.

- D.** Apud Egiptum, ciuitate Alexandrie; beati Philippi, episcopi. Qui prefectus primum fuit, deinde baptismi gratia sanctificatus, episcopi dignitatem, suffragium ferentibus Christianis populis, assequitur. Ad ultimum pro fide Christi, sub Uolusiano et Gallieno imperatoribus, martirio coronatur. Eodem die; sancti Amanti presbiteri, et abbatis monasterii sancti Romarici. Qui mire abstinentie et anchoritice uite sectator, uirtutum et miraculorum gratia illustrem conuersionem duxit.

xviii. Kal. Octobris.

- E.** Rome, uia Appia, in cymiterio Calixti; natalis sancti Cornelii pape, sub persecutione Decii. Qui cum presbiteris et diaconibus centum cellis exillio deportatus fuit. Ad quem confortandum multi Christianorum ueniebant. Quo tempore *beatus* Cyprianus scripsit ei de Celarino lectore, quanta pro fide et confessione Christi sustinuerit. Decius Cesar audito quod multa scripta reciperet de beato Cypriano, rogauit eum sibi exhiberi. Exhibitus autem Decio interroganti, cur Cypriani contra rem publicam litteras accepisset, respondit. Ego de corona domini litteras accepi: non contra rem publicam. Iratus Decius iussit eum crudeliter affligi, et si sacrificare nollet, capite puniri. Sed postquam contempsit, ductus est foras muros porte Appie: et illic decollatus est cum uiginti uno militibus. Passus est eciam cum eis Cerialis, miles, cum uxore sua Salustia. Item eodem die, apud Affricam; beati Cypriani, episcopi, sub Ualeriano et Gallieno imperatoribus, Galerio Maximo proconsule. Qui a gentibus elaborantibus comprehensus, ex precepto Aspasio Paterni proconsulis, in exilium ciuitate Corbita missus est. Postea releuatus ab exilio, propter

insuperabilem fidem in Christo, gladio percussus martirium consummauit. Referuntur autem cum eo passi, Crescentianus, Victor, Rosula, et Genralis. Item eodem die; exaltatio sancte crucis. Nam Sergius papa, in sacrario beati Petri apostoli capsam argenteam, que in angulo obscurissimo diutissime iacuerat, et in ea crucem diuersis ac preciosis lapidibus adornatam, domino reuelante repperit. De qua tractis quatuor petallis, quibus gemine incluse erant mire magnitudinis, portionem ligni salutiferi dominice crucis interius positam inspexit. Que ex tempore illo annis singulis, in basilica saluatoris, que appellatur Constantiniana, die exaltationis eius ab omni adoratur atque osculatur populo. Treueris; sancti Materni, episcopi et confessoris.

xxvii. Kal. Octobris.

ff. Natalis sancti Nichomedis, martiris. Que Flacus comes, cum ad eum perlatum fuisset, quod corpus sancte uirginis Felicule, quam ipse pro Christo punierat, sepellisset, fecit teneri et duci ad sacrificandum. Qui cum diceret, ego non sacrifico, nisi Deo omnipotenti qui regnat in celis, non his excisis qui in templis, quasi in carceribus clausi, custodiuntur, plumbatis diutissime cesus, migravit ad dominum. In territorio Cabilonensi, castro Trenortio; natalis sancti Ualeriani, sub preside Prisco gladio iugulati. Eodem die; festiuitas sancti Appri, Tullensis ecclesie episcopi, et confessoris.

xxvi. Kal. Octobris.

ff. Calcidonia; natalis sancte Eufemie, uirginis. Que sub Diocleciano imperatore, proconsule Prisco, diuersis examinata suppliciis, nouissime bestiarum morsu martyrium compleuit. Item Rome; Lucie et Geminiani. Hec beatissima Lucia a filio suo Euprepio accusata, quod esset Christiana, iussit eam Dioclecianus sibi adduci,

duci, cum predicto Geminiano. Quos ille penis grauiissime affictos, tradidit cuidam peruersissimo iudici, qui diu eos cruciatos post laudabilem uictoriam martirij gladio puniri fecit.

xb. Kal. Octobris.

- 17 **A.** In Britannis; Socratis, Stephani. Niuiduni; sanctorum, Ualeriani, Macrini, et Gordiani. Rome, uia Tyburtina; ad sanctum Laurentium; natalis sancti Iustini, presbiteri et confessoris. Item Rome, in cripta harenaria; sanctorum martirum Narcisi et Crescentionis. Tungrensi diocesi, Leogio, uilla publica; natalis sancti Lamberti, episcopi et martiris.

xiiii. Kal. Octobris.

- 18 **B.** Natalis sancti Methodii, Olimpui, Licie, et postea Tyri episcopi: qui sub Diocleciano, in Calcide Grecie, martirio coronatus est. Vienne; sancti Ferioli, qui persecutionis tempore, cum esset tribunie potestatis, iussu impiissimi presidis tentus, primo crudelissime uerberatus, deinde graui cathenarum onustus pondere, in teterrimum carcerem trusus est. Ad extremum uero, martirii palmam capitis obtruncatione percepit.

xiii. Kal. Octobris.

- 9 **C.** In Neapoli, ciuitate Campanie; natalis sanctorum Ianuarii, Beneuentane ciuitatis episcopi, cum Sotio diacono Messane ciuitatis, et diacono suo Festo, et lectore suo Desiderio. Qui post uincula et carceres, capite cesi sunt, in ciuitate Puticeoalana, sub Diocleciano principe, iudice Dracuntio. Qui ducerentur ad mortem, uiderunt inter alias procul Puciolane ciuitatis diaconem, et duos laicos Euthicem, et interrogauerunt quare iusti iuberentur occidi. Quos iudex ut uidit Christianos, iussit decollari cum illis. Sic

omnes septem pariter sunt decollati. In Palestina; sanctorum martirum, Peli et Nili, episcoporum. Qui persecutione Diocli-
ciani, cum plurimis clericis, pro Christo igni traditi sunt. Apud
Nuceriam; sanctorum, Felicis et Constantie, sub Nerone passi
sunt. In territorio Lingonice ciuitatis; Sigolis presbiteri.

xii. Kal. Octobris.

- 20 **D.** In Cizico; natalis sancte Fauste, uirginis, et Euilasi. Qui sub
Maximiniano imperatore *crudelissime torti* in confessione Christi
spiritum emiserunt. Eodem die; uigilia sancti Mathei apostoli.

xi. Kal. Octobris.

- 21 **E.** Mathei apostoli, et euangeliste, qui primus in Iudea euangelium
Christi Ebraico sermone conscripsit. Post uero apud Ethiopiam
predicans, martirium passus est. Euangelium eius stilo scriptum,
ipso reuelante, tempore Zenonis imperatore inuentum est. Idem
autem Matheus in euangelio Leui appellatur.

x. Kal. Octobris.

- 22 **F.** In Galliis, ciuitate Seduno, loco Agauno; natalis sanctorum mar-
tirum Thebeorum, Mauricii, Exuberii, Candidi, Uictoris, Inno-
centis, Uitalis, cum sociis suis, sex milibus, sexcentis, sexaginta
et sex, qui sub Maximiano passi, pro Christo gloriosissime coro-
nati sunt. Apud Radisponam ciuitatem; passio beati Emmeranini,
episcopi et martiris.

Introduit par
Usuard!

ix. Kal. Octobris.

- 23 **G.** Natalis sancti Sosii diaconi, Mesenate ciuitatis, in Campania. Qui
cum esset annorum triginta, martirium cum beato Ianuario Bene-
uentano episcopo decollationem capitis suscepit, tempore Diocle-
ciani

ciani imperatoris. Eodem die; natalis sancte Thecle, uirginis. Apud Seleutiam; Quiescentis. Que de ciuitate Yconio, a beato Paulo apostolo instructa est. Quam mater eius cernens Christianam et nuptum repudiare, mallentem Christo sponso adherere, quam corruptioni carnis subiacere, pergens ad iudicem accusauit eam. Quam sibi cum iussisset iudex adduci, et propositum castitatis eius perdidisset, diuersa tormenta ei proposuit, ut minis territa ab intentione recederet. Sed illa diuina uirtute omnia superans, dimisa a iudice reuersa est Seleutiam, ibique exemplo conuersationis uite atque etiam doctrine plurimos erudiens, post multa certamina, ac duplicem coronam uirginitatis et martirii, requieuit in pace.

biii. Kal. Octobris.

- 24 **A.** Conceptio sancti Iohannis baptiste. Et Augustuduno; sancti Andochii presbiteri, Tyrsi diaconi et Felicis. Qui a beato Policarpo episcopo ab oriente directi ad docendam Galliam, sub Aureliano principe sunt gloriosissime coronati. Siquidem flagellis cesi, in ultimo tota die inuersis manibus suspensi, in ignem missi, sed non combusti, tandem uestibus colla feriuntur, atque ita martirium suum gloriosissime compleuerunt. <Item sancti Ceolfrithi, abbatis et confessoris. >

bii. Kal. Octobris.

- 25 **B.** Natalis beati Cleophe, cui dominus post resurrectionem in uia apparuit. Lugduni; sancti Lupi episcopi ex anachorita. Et in Hibernia; sancti episcopi et confessoris Barri.

bi. Kal. Octobris.

- 26 **C.** Sanctorum martirum, Cypriani episcopi, quondam magi, et Iustini uirginis et Theogniti. Qui, sub Diocliciano imperatore, ob confessionem Christi martirio coronati sunt.

6. Kal. Octobris.

- 27 **D.** Apud Egeam ciuitatem; natalis sanctorum martyrum Cosme et Damiani fratrum, et Antemii, Leoncij et Euprepii. Qui persecutione Diocleciani, sub preside Lysia, post diuersa supplicia que pro Christo perpassi fuerant, gladio uitam finierunt. Metis ciuitate; depositio sancti Petri, episcopi et confessoris.
- addition

iiii. Kal. Octobris.

- 28 **E.** In Hispaniis Cordula; natalis sanctorum, Faustini, Ianuarii, et Marcialis. Qui primo eculei pena cruciati, deinde rasis superciliis, et auribus ac naribus precis, dentibus quoque superioribus euulsis deturpati, ad ultimum ignis passione martyrium consummauerunt.

iii. Kal. Octobris.

- 29 **F.** In monte Gargano; Uenerabilis memoria beati archangeli Michaelis, ubi ipsius consecrata nomine habetur ecclesia.

ii. Kal. Octobris.

- 30 **G.** In Galliis, castro Solodoro, quod est super Arulam fluuium; passio sanctorum martirum, Uictoris, et Ursi, ex gloriosa legione Thebeorum. Eodem die, apud Bethleem Iude; depositio sancti Ieronimi presbiteri. Hic post perfectam placitamque deo conuersionem, post multos labores, quos in descriptione librorum ad edificationem ecclesie desudauerat, tandem nonagesimo octauo etatis sue anno, apud Bethleem oppidum in pace quieuit. Libros suos per quinquaginta et sex annos confecit.

Kal. Octobris.

- 31 **A.** Apud Autisiodorum; natalis sancti Germani, episcopi et confessoris. Qui multis uirtutibus doctrinaque et continentia clarus extitit.

titit. Thomis ciuitate; natalis sancti Prisci, Crescencii et Eua-
grii. Treueris; sancti Nicecii, episcopi et confessoris. Remis;
sancti Remigii, episcopi et confessoris, uiri clarissime uirtutis et
sanctitatis. Hic gentem Francorum ydolorum culturis deditam
conuertit ad Christum, rege ipsorum sacro fonte baptismatis et
sacramentis fidei primus initiato, septuaginta et eo amplius in
episcopatu annos expleuit. Hic inter cetera facta, puella a
morte corporis suscitauit. Ipsa die; sanctorum confessorum,
Uedasti, Bauonis atque Piatonis.

vi. Non. Octobris.

16. Sancti Eusebii pape et confessoris. Qui sedit in episcopatu
annos septem, et sepultus est uia Appia, in cimiterio Calixti.
Sub huius tempore inuenta est crux domini nostri Ihesu Christi,
quinto nonas Mai. Apud Nichomediam; natalis sancti Eleu-
therii martiris. Qui sub Diocleciano imperatore martirium uic-
torie sue, ignibus uelut aurum examinatus, compleuit. Natracis,
uilla Syricinio; passio sancti Leodegarii Augustuduriensis epis-
copi. Quem uariis iniuriis et diuersis suppliciis pro ueritate
afflictum, Ebroinus, maior domus regie interfecit. *Eodem die, in
Anglia; sancti Thome Heford. episcopi et confessoris.*

v. Non. Octobris.

17. Natalis sancti Dionisij, episcopi et martiris. Qui sub Adriano
principe, post clarissimam confessionem fidei, post grauissima tor-
mentorum genera, glorioso martirio coronatus est. Apud Antio-
chos Saxones; sanctorum martirum, Ewandalorum presbiterorum.
Qui cum Wilibrordo episcopo uenientes in Germania, transierunt
ad Saxones. Et cum predicare ibi cepissent, comprehensi sunt
et occisi. Ad quorum corpora noctu diu multa lux apparens, et
ubi

ubi essent, et cuius essent meriti, declaravit. Eodem die, depositio dompni Madalvei, Uirdunensis episcopi.

iiii. Non. Octobris.

- 4 1225
 D. Apud Corinthum; beatorum Crispi et Gai. Quorum meminit beatus apostolus Paulus Chorinthis scribens. Apud Egiptum; natalis sanctorum martyrum, Marci, et Marcialii fratrum, et cum eis innumerabiles alii non inferiori gloria, tam uiri quam femine. Sed et pueri et senes, qui pro fide domini nostri Ihesu Christi martirio coronati sunt. Eodem die; natalis sancti Francissi confessoris.

iii. Non. Octobris.

- E. Apud Siciliam, natalis sanctorum Placidi et Eutichii, et aliorum triginta. In Galliis, ciuitate Ualentia; sancti Apollinaris episcopi. Cuius uita uirtutibus insignis fuit, et mors nichilominus signis et prodigiis decoratur. Apud Eumeniam; beati Trasee, episcopi et martiris.

ii. Non. Octobris.

- F. Natalis sanctorum, Marcelli, Casti, Emilii, Saturnini. In Galliis, ciuitate Agimno; natalis sancte Fidis, uirginis et martiris. Cuius exemplo beatus Caprasius ad agonem martirii animatus est. Eodem die; beati Sagaris, episcopi et martiris.

Non. Octobris.

- G. Rome; uia Appia, natalis sancti Marci, episcopi et confessoris. Qui sedit in episcopatu annos duos, menses nouem, dies uiginti. Eodem die; sanctorum martirum, Iulie, Sergii, et Bachi, sub Maximiano imperatore, iudice Antiocho, ob confessionem Christi, martirio coronatorum. Eodem die; natalis sanctorum martirum, Marcelli et Apulei.

viii. Idus Octobris.

- 8 **A.** Apud Cretam, urbem Cortine; beati Philippi episcopi, magnis uirtutibus et optimis studiis predicti uiri. Et Thessalonice; sancti Demetrii martiris. Pelagie Palestina ciuitate; sancte Reparate.

vii. Id. Octobris.

- 9 **B.** Abrahe, patriarche. Apud Parisium; sanctorum martirum, Dionisii episcopi, Eleutherii presbiteri, et Rustici diaconi. Qui beatus episcopus a pontifice Romano Clemente in Gallias directus, ut predicationis operam populis a fide Christi alienis exhiberet, tandem Parisiorum ciuitatem deuenit, et aliquot annos sanctum opus feliciter et ardentem exsecutus, a prefecto Fescennio Sisinnio comprehensus, et cum eo sanctus presbiter Eleutherius, et Rusticus diaconus, gladio animaduersi martirium compleuerunt.

vi. Id. Octobris.

- 10 **C.** Loth, prophete. Apud Cretam, beati Piniti, inter episcopos nobilissimi confessoris. Qui in scripturis suis, uelut in quodam speculo, uiuentem sui dereliquit ymaginem. Et apud Agripinensem urbem; sanctorum martirum, Mallosi et Uictoris. In Britannia; beati Paulini, episcopi et confessoris. Apud Coloniam Agrippinam; natalis sanctorum martirum, Gereonis, cum aliis trecentis decem et octo. In Troia; Uictoris, cum trecentis triginta. In Uerona; Cassii, et Florentii, cum aliis septem. Quos ferunt Theobeos fuisse, et cum legione illa beati Mauricii, iussu Maximiani imperatoris, in Galliis transitum fecisse, atque circa Reni litora consedisse, et funestum tyranni impium respuendo, pro uera pietate colla pacienter gladiis subdidisse.

v. Id. Octobris.

- D.** Apud Tharsum, metropolim Cilicie; natalis beatissimorum martirum, Tharasi presbiteri, et Andronici. Qui persecutione Diocletiani, sub Maximiano preside, longo tempore carceris squalore afflicti, in confessione Christi triumphum glorie adepti sunt. In Hibernia; natalis sancti Channiche, abbatis et confessoris. Item, ipsa die; depositio ~~sancti~~ Brunonis, Agripinensis archiepiscopi. Cuius uita gloriosa et illustris fuit. Ipso die; beati Nicasii episcopi, et sociorum eius. Eodem die; translatio sancti Augustini.

iiii. Id. Octobris.

- E.** Apud Rauennam, uia Laurentina; natalis sancti Hedistii. Rome; natalis sanctorum, Celesti, Saturi. In prouincia Syrie; natalis sanctorum, Sirie et Euagri. In Egipto; sancti Eustasi presbiteri.

iii. Id. Octobris.

- F.** Commemoratio sanctorum confessorum et martyrum, quatuor milium nongentorum septuaginta sex. Qui persecutione Wandalica apud Affricam, cum essent ecclesiarum clerici, episcopi, presbiteri, diaconi, associatis sibi turbis fidelium populorum, iussu Hunerici regis Arriani, pro defensione catholice ueritatis, in horribile hereme exilium trusi, et inter Mauros ferocissimos deputati sunt. Inter quos erant Cyprianus et Felix, precipui sacerdotes domini. In Hispanniis, ciuitate Gordoba; Fausti et Marcie. In Colonia; inuentio corporis sancti Maurini martiris. *Eodem die; translacio sancti Eduuardi regis et confessoris, apud Westmonasterium.*

ii. Id. Octobris.

- G.** Turonis; depositio sancti Uenanti, abbatis et confessoris. Rome; passio sancti Calixti pape. Qui persecutione Alexandri imperatoris,

toris, diutius fame cruciatus, et cotidie fustibus cesus, a presbitero suo Calepodio, qui ante martirium consummauerat, confortatus et consolatus est. Qui in carcere eodem die positus, quemdem militem nomine Priuatum, ab ulcere, dolore, ac feditate, simul et ab infidelitate curauit. Quod audiens Alexander, ipsum quidem militem fecit plumbatis deficere, beatum uero Calixtum, per fenestram domus precipitari, et ligato ad collum saxo in putium demergi, et eum rudere cumulari. Post uero dies decem et septem, presbiter eius Asterius, cum clericis noctu ueniens, leuauit corpus, et sepeliuit in cymiterio Calepodii. Eodem die; sancti Celestis episcopi et confessoris, discipuli beati Petri apostoli. Qui cum sancto Clemente et Felice ad urbem Metim ueniens, post primum in eadem urbe episcopus constituitur, celestem uitam duxit, et ad Christum feliciter migravit. Ipsa die; transitus sancti Iusti in heremo. Cordoba ciuitate, natalis sanctorum, Lupi et Aurelie.

Idus Octobris.

- A. In Galliis apud Coloniam Agrippinam, sanctorum Maurorum de militibus, qui ex illa legione sacra Thebeorum cum numero trescentis sexaginta, apud eandem urbem martirium consummantes, conditi sunt in basilica, que ex mirabili opere ex musiuo quodammodo deaurata resplendet. Vnde etiam incole sanctos eos aureos uocitare consuerunt. *Rome; sancte Fortunate.* Remis ciuitate; depositio sancti Basoli confessoris.

xbii. Kal. Nobembris.

- B. In Affrica; passio sanctorum martirum, Ceicre, et aliorum ducentorum septuaginta pariter coronatorum. In castro Sollercii; sancti Eliphii martiris. Alibi; Saturnini, Nerei, et depositio sancti Galli confessoris.

xvi. Kal. Nobembris.

- C.** In Galliis, ciuitate Arausica; sancti Florencii episcopi, qui multis clarus uirtutibus in pace quieuit. In Nicomedia; natalis sancti Alexandri, Uictoris, et passio Siluani. In Mauritania; sanctorum, Nini, Luci, Sacrati, Ueneri, Prime, Donate, Uictorie, Basille.

xv. Kal. Nobembris.

- D.** Natalis sancte Luce euangeliste. Qui fuit natione Syrus, Antiochensis, arte medicus, discipulus apostolorum; postea Paulum secutus, usque ad confessionem eius seruiens domino sine crimine. Nam neque uxorem unquam habens neque liberos, septuaginta et trium annorum obiit in Bithinia, plenus Spiritu Sancto. Sepultus est autem nunc Constantinopolim. Ad quem urbem, uicesimo anno ossa eius, cum reliquiis Andree apostoli, translata sunt. Eodem die, Rome; sancte Trophime, uxoris Decii Cesaris. Que, uiro suo, post interfectionem Sixti et Laurentii, diuinitus punito, petiit se baptizari, cum filia Decii Cirilla, a Iustino presbitero, et alia die defuncta est, ac iuxta sanctum Ypolitum in cripta sepulta. In Affrica; Uictorici, Faustini.

xiiii. Kal. Nobembris.

- E.** Apud Antiochiam Sirie; natalis sanctorum, Beronici, Pelage, et aliorum quadraginta nouem. In ciuitate Puteoli; natalis sanctorum Proculi, et Nicee matris eius. In Hibernia; sancti Auxilii, episcopi et confessoris. Eodem die; Oxonie; sancte Fretheswide uirginis.

xiii. Kal. Nobembris.

- F.** In Galliis, Aginno ciuitate; natalis sancti Caprasii, martiris. Rome; natalis sancti Asterii presbiteri. In Puteolis ciuitate; Zozimi, Ianuarij, Dorothe.

xii. Kal. Nobembris.

G. Apud Nichomediam; natalis sanctorum martirum, Dasii, Zotici, Gaii, cum duodecim milibus. Eodem die; sancti patris nostri Hylarionis, cuius uitam Ieronimus uirtutibus plenam scribit. Item eodem die; natalis sancti Asterii presbiteri Calixti. Lugdunis Gallie; transitus sancti Uiatoris. In Colonia; undecim milia uirginum.

xi. Kal. Nobembris.

A. Apud Adrianopolim Tracie; natalis sanctorum, Philippi, Eusebii, et Heremetis. In Tracia; sancti Seueri. Et alibi: passio sancti Leogati martiris.

x. Kal. Nobembris.

B. Apud Antiochiam Sirie; natalis sancti Theodoriti presbiteri. Qui secutione Iuliani impii, sub prefecto et auunculo eius Iuliano, cum ab eo Antiohenorum ecclesias spoliatas, et religiosi quoque fuissent eius terrore dispersi, in ecclesiam permansit intrepidus. Atque ab eo teneri iussus, post eculei penam, et multos ac durissimos cruciatus, eciam lampadibus circa latera appositis inflammatus est. Sed cum angelorum aspectu terriri ruissent in faciem, et credentes Christo impium ministerium recusassent, iussit eos Iulianus pelago immergi. Quibus beatus Theodoritus ait, precedite fratres; ego uero superans inimicum, sequar dominum. In Cesarea Capadocie; sancti Sereusi. In Adriapolim; natalis sanctorum, Seueri et Dorothei. In Colonia; sancti Seuerini, episcopi et confessoris.

ix. Kal. Nobembris.

C. Apud Affricam; commemoratio sanctorum martirum, Marciani, et Satiriani, cum duobus fratribus eorum, et egregie Christi ancille,
Maxime

Maxime uirginis. In Nichomedia; natalis sanctorum Uitalis, Felicis, Rogati, Flauiani.

oiii. Kal. Nobembris

- D.** In Galliis, ciuitate Suessionis; natale sanctorum, Crispini et Crispiniani. Qui persecutione Maximiani, ad trocleas extenti et fustibus cesi, postquam digiti eorum subulis transfixi sunt, et de dorso eorum lora precisa, ad ultimum gladio trucidati, corona martirii coronati sunt. Eodem die, Petragoritas ciuitate; natalis sancti Frontonii. Qui Rome a beato Petro episcopus ordinatus, cum Georgio presbitero, ad predicandum euangelium missus est. Cum sequenti die tertio itineris idem Georgius fuisset mortuus, merens Frontonus reuersus ad apostolum, accepto eius baculo, et super corpus defuncti posito, socium de morte recepit. Sicque ad predictam ciuitatem ueniens, magnam multitudinem gentis illius ad Christum conuertit, et multis miraculis clarus in pace quieuit. Ipso die; sanctorum, Uedasti et Amandi.

oii. Kal. Nobembris.

- E.** In Hispanniis, Alela ciuitate; natalis sanctorum, Uincencii, Sabine, et Cristetes. Rome; sanctorum, Mariandi, Luci. In Sardinia; sancti Florentii.

vi. Kal. Nobembris.

- F.** Vigilia beatorum apostolorum, Symonis et Iude. Eodem die, Rome; natalis sancte Cyrille, martiris, filie Decii Cesaris. Que sub Claudio principe iugulata et necata est gladio, et sepulta est a Iustino presbitero cum matre sua, iuxta sanctum Ypolitum.

v. Kal. Nobembris.

- G.** In Perside; natalis sanctorum apostolorum Symonis Cananei, et Thaddei, qui eciam Iudas Iacobi legitur. E quibus Thadeus apud Mesopotamiam,

Mesopotamiam, Symon uero apud Egiptum, traditur predicasse. Qui eciam Iacobo fratre Domini a Iudeis lapidato, Ierosolimorum episcopus ab apostolis constituitur, persecutione Traiani, multo tempore supplicii affectus, martirio coronatus est, omnibus qui adherant et ipso iudice mirantibus, ut centum uiginti annorum senex crucis supplicium pertulisset. Hoc totum de successione Symonis in loco fratris domini, et de passione eius, ecclesiastica historia magis de alio Symone, quem et filium Cleophe nominauit, narrare uidetur.

iiii. Kal. Nobembris.

29 ✓ **A.** Ciuitate Tingitana; passio sancti Marcelli centurionis, qui capitis abscisione martirium consummauit, sub Agricolano, agente uices prefectorum pretorio. In Affrica; passio sanctorum *martirum ducentorum uiginti.* Inichea; natalis sanctorum, Kalendionis, Marcialis, Theophili. Et alibi, passio sancti Feliciani cum sociis suis.

iii. Kal. Nobembris.

30 **B.** Apud Affricam; natalis sanctorum martirum, Rogatiani presbiteri, et Felicissimi. Qui, persecutione Decii et Ualeriani, illustri sunt martirio coronati. Scribit beatus Cyprianus, in epistola ad confessores hiis uerbis, ut sequamini, inquit, in omnibus Rogatianum presbiterum, gloriosum senem, uiam uobis, ad gloriam temporis nostri gloriosi uirtute et diuina dignatione facientem. Qui cum Felicissimo fratre nostro quieto semper et sobrio, excipiens ferientis populi impetum, primum hospitium uobis in carcere preparauit, et metator quodammodo uester, nunc quoque uos antecedit.

ii. Kal. Nobembris.

31 **C.** In Galliis, oppido Uirmadensi; natalis sancti Quintini, martiris, qui sub Maximiano imperatore martirium passus est, et post annum

num quinquagesimum quintum, inuentum est corpus, reuelante angelo, et sepultum octauo kal. Iulii. In Macedonia; sanctorum, Uitalis, Petri, Crescentii. Eodem die; passio sancti Eusebii, martiris et uigilia omnium sanctorum. Eodem die; passio sancti Foilani martiris.

Kal. Nobembris.

D. Rome; natalis sancti Cesarii martiris. Et ipsa die; festiuitas omnium sanctorum. Hec festiuitas sanctorum generalis est Rome. Petente namque papa Bonefatio, iussit Focas imperator in ueteri fano, quod Panteon uocabatur, ablatis ydolatrie sordibus, ecclesiam sancte Marie et omnium fieri martyrum, ut ubi quondam non deorum sed demoniorum cultus agebatur, ibi deinceps fieret memoria omnium sanctorum. Lingonice, ciuitate castro Diuione; passio sancti Benigni presbiteri. Qui cum Andochio compresbitero, et Tirso diacono, missus est a sancto Policarpo ab oriente Galliam, tempore Iuliani. Qui, predicatione eius comperta, uinctum et cesum ad se adduci precepit, et rursus audita sermonum eius constantia, neruis durissimis eum cedi fecit, et Terrentio comiti superandum tradidit. A quo post hec ad trocleas extensus et cesus, ac rursus carceri mancipatus, mane idola orando destruxit, et reductus est in carcerem. Qui subulas decem calentes in manibus infixerunt, et cum plumbo remisso pedes in lapide perforato fixerunt, et canes duodecim feroces cum eo incluserunt per sex dies. Et attulit ei angelus celestem panem, subulas abstulit, et eum de plumbo ac ferro eripuit. Ad ultimum collum eius uecte ferro tundi, et corpus eius lancea perforari iubetur. Quo facto, columba niuea de carcere, Christianis aspicientibus, ad celos ascendit, et odor suauissimus, quasi paradisi, secutus est. Venit autem beata Leonilla, et conditum aromatibus corpus non longe ab ipso carcere sepliuit. Eodem die; natalis Cesarii diaconi, et Iuliani

Iuliani presbiteri. Qui uidelicet Cesarius, tempore Claudii, ueniens ex Affrica ad Terracinam Campanie ciuitatem, dum contra ydolatras proclamaret in publico, tentus est a Firmino pontifice, et in custodiam reclusus, ubi multis diebus maceratus est. Deinde traditus est Leontio, consulari Campanie. Quem ille cum uerbis superare nequiret, iussit uinctum ante carpentum suum ducere ligatis manibus nudum, usque ad templum Appolinis. Quo cum peruenissent, ad orationem eius corruiit templum, *et* interfecit pontificem Firminum. Post hoc reclusus in carcerem a Luxurio primo ciuitatis, fuit ibi per annum, et mensem unum. Deinde eductus in foro, a deo dum oraret, celesti est lumine circumdatus, ita ut ipse Leontius crederet, et Cesarium, qui erat nudus, sua clamide indueret, peciitque ut baptizaretur, et corpus et sanguinem domini accepit de manu Iuliani presbiteri. Nec mora, dicta super eum oracione tradidit spiritum, tercio kal. Nouembris. Tunc Luxurius iussit Iulianum et Cesarium mitti in saccum et precipitari in mare. Qui eodem die; reiecti sunt ad litus, et sepulti sunt ab Eusebio seruo dei iuxta urbem Terracinam. Et idem Eusebius postea martirium passus est cum Felice presbitero. Item, eodem die; depositio Seuerini monachi, de Tiburtina ciuitate. Alibi; depositio sancti Eustachi militis, cum uxore et cum duobus filiis. Parisius ciuitate; natalis sancti Marcelli, episcopi et confessoris. In Colonia; sancti Euergisi, episcopi et confessoris. Ipsa die; natalis sancte Marie uirginis. Que cum esset ancilla, et die natalis filii domini sui ieiunaret, nec ullo modo flecti potuisset, ut de idolothitis manducaret, primo diris uerberibus afflicta, dein longa carceris custodia, equilei extensione, unguularum laniatione uexata, martirium consummauit.

iii. Non. Nobembris.

C. Natalis sancti Uictorini, Pictauiouensis episcopi. Qui persecutione Diocletiani martirio coronatus est. Eodem die; sancti Ambrosii, abbatis monasterii Acaunensis. Rome; tempore Adriani imperatoris, passio beati Eustachii, et uxoris eius Theophis, cum filiis Agapito et Theophisto. Hec festiuitas cum in kal. habeatur, tum hic ab ecclesia celebratur. Item, eodem die, Rome; dedicatio basilice sanctorum, Syxti, Ypoliti et Laurencii, martyrum. In Affrica; natalis sanctorum, Popliani, Uictoris, Hermetis, Iusti, Uitalis et Papie.

iii. Non. Nobembris.

F. Apud Cesariam Capadotie; natalis sanctorum Germani, Theophili, Cesarii, et Uitalis. Et passio sancte Agricole. Eodem die; natalis sancti Cuthberti episcopi. In Galliis, monasterio Claraualle; depositio beati Malachie, episcopi et confessoris.

ii. Non. Nobembris.

G. In Galliis, ciuitate Redenis; natalis sancti Amancij episcopi, cuius uita sanctitate et miraculis extitit gloriosa. In Affrica; natalis sanctorum Primi, Cesarii, Gregorii, Porphirii. In Nicea; natalis sancti Domnini.

Non. Nobembris.

A. Zacharie prophete, patris Johannis baptiste. In Terracina, Campanie ciuitate; natalis sanctorum, Felicis presbiteri, et Eusebii monachi, temporibus Claudii imperatoris. Qui fidelis Eusebius, cum sepelisset sanctos martires Julianum et Cesarium, et ad sepulcra eorum orans ac ieiunans multos conuerteret, quos Felix presbiter

presbiter baptizabat, tenti sunt ambo a Leontio filio Leontii consularis, ob eam maxime causam, quia Cesarius patrem eius Christianum fecisset. In Cesaria Capadocie; natalis sanctorum, Domini, Epiphanii, Antonini. In Capua, ciuitate Campanie; natalis sanctorum, Marcie, Secunde, et Quarti.

biii. Idus Nobembris.

- B.** Zoniza Affrice; natalis sancti Felicis. In huius sollempnitate quendam psalmum beatus Augustinus uidetur exponere ad populum. Vbi inter cetera de eius passione loquitur. Felix martir, uere felix, et nomine et corona, cuius hodie dies est. Noueritis autem, fratres, non eum passum mortem, quam alii martyres passi sunt. Confessus enim, delatus est ad tormenta. Alia die, inuentum est corpus exanime. Clauserant enim illi carcerem corpori, non spiritui. In oriente, ciuitate Theopoli; sanctorum decem martyrum, qui sub Sarracensi passi leguntur in gestis sanctorum quadraginta. In Gallia, ciuitate Redenis; depositio sancti Melani episcopi et confessoris. Et sancti Leonardi, abbatis et confessoris.

bii. Id. Nobembris.

- C.** Natalis sancti Amaranti martiris. Apud Perusinam, Italie urbem; natalis Hercuali, episcopi et martiris. In Nichea; natalis sanctorum, Polissii, Eustasii, Primi, Rogationi. In Affrica sanctorum Rogati, Donati, Primi, Iulite. Metis ciuitate; depositio sancti Ruphi, episcopi et confessoris. Hasternaco monasterio; depositio sancti Willibrordi, episcopi et confessoris.

vi. Id. Nobembris.

- D.** Rome; natalis sanctorum quatuor coronatorum, Claudii, Nichostrati, Simphoriani, Castorii, et Simpplicii. Quos prefectus urbis

cum per decem dies minis et blanditiis in nullo penitus potuisset mouere, tercio tormentis atrocibus uexatos, iussit in medio mari precipites dari. Sicque inmensis artati ponderibus, ac pelagi fluctibus immersi, in loco mundo inter aquas coronam martirii celeberrunt. In Affrica; sanctorum, Primi, Macharij, Iusti, et aliorum decem et octo.

v. Id. Nobembris.

- E.** Rome; sancti Theodori, martiris, et sanctorum, Clementis et Simphoriani, et sancti Damasi. In Hispannia; natalis sanctorum Fausti et Marcialis. Et eodem die; *sancti* Ursicini episcopi, et sanctorum Donati et Damiani. Et in Hibernia; sancte uirginis Sinche.

iiii. Id. Nobembris.

- F.** In territorio Agathensi, in Cesarione; natalis sanctorum martirum, Tiberii, Modesti, et Florentie. Qui tempore Diocliciani, uariis tormentis cruciati, martirium compleuerunt. Rome; depositio sancti Leonis episcopi. In Antiochia; Demetrii episcopi, Amanesi diaconi. Item eodem die; natalis sancti Martini pape. Qui ob fidem catholicam ab imperatore Constantino heretico, per Theodorum exarchum, de ecclesia raptus, ac perductus Constantinopolim, ibidem uitam finiuit.

iii. Id. Nobembris.

- G.** In Galliis, Turonis ciuitate; natalis sancti Martini episcopi et confessoris. Qui tres mortuos suscitauit, et multas uirtutes fecit. Eodem die, in Scicia, metropoli Prigie Salutarie; passio sancti Menne martiris. Qui persecutione Dioclecioni et Maximiani, cum esset miles nobilis genere, et Egiptiorum prouintia ortus, abrenuntians terrene militie, primo celesti regi secreta conuersione

tione in heremo militauit. Deinde nataliciis præfatorum imperatorum procedens ad pabulum, ac se Christianum libera coram ipsis uoce declarans, traditus est Pirro duci torquendus. A quo primum diris uerberibus cesus, ita ut platee locus eius sanguine repleretur, deinde eculeo exungulatus, et in lapidibus igneis circum latera adustus, per tribulos et sudes ferreas ligatis manibus ac pedibus tractus, plumbatis quoque collo et maxillis grauius contusus, nouissime fixis in oracione genibus, et domino Ihesu Christo agens, gladio cesus, et corpus eius igni traditum. Quod furtim a Christianis ereptum et aromatibus conditum, debita ueneratione curatum est. Rome; sanctorum, Ualenti, Feliciani, Uicturini.

ii. Id. Nobembris.

A. Apud Affricam; commemoratio sanctorum Archadii, Paschasii, Probi, qui ex Hispania oriundi, cum apud Sigiricum Wandalarum regem, merito sapientie et fidelis obsequii cari clarique haberentur, nec in Arrianam perfidiam, cui ipse deditus erat, ullatenus declinare paterentur, excitato in rapidissimam iram barbaro, primo proscripti, deinde in exilium atque atrocissimis suppliciiis excruciatii, illustri martirio mirabiliter occubuerunt. In Colonia; sancti Cumberti, episcopi et confessoris. In Cesaria Capadocie; sanctorum, Germani, Theopili, Cesarii, martirum.

Idus Nobembris.

B. Rauenna; natalis sanctorum martirum Ualentini, Solutoris, Uictoris. In Tratia; sanctorum, Edicti, Euthicis, Ermogenis. In Cesaria Capacie; sanctorum, Germani, Theophili, Cesarii, et sancti Eusebii martiris. Eodem die; natalis sancti Bricii, episcopi et confessoris.

xviii. Kal. Decembris.

- † 1180
 C. Apud Traciam, ciuitate Eraclea; natalis sanctorum martirum, Clementini, Thodoti, Filumini. Eodem die; natalis sancti Eracli. Eodem die; natalis sancti Laurentii archiepiscopi et confessoris.

xvii. Kal. Decembris.

- D. Antiochie; natalis sanctorum Donati, Restituti, Ualeriani, Fructuose, cum aliis duodecim. In Affrica; sanctorum Secundi, Fidentiani, et Marcialis: et dedicatio sancte Marie iuxta murum Mentensium: et sancti Benedicti in Colonia.

xvi. Kal. Decembris.

- C. Natale sancti Eucherij, episcopi Lugdunensis, admirande fidei, uite et doctrine uiri. Qui ex nobilissimo senatorum *ordine* ad religiosam uitam habitumque conuersus, diu in agro suo super Durentiam, intra septa spelunce sponte conclusus Christo seruiuit, ieiuniis et oracionibus uacans. Defuncto autem pontifice Lugdunensi, cum uniuersa ecclesia, iuxta morem a se antiquitus obseruatum, triduanis ieiuniis et obsecrationibus, qui gubernationem eiusdem ecclesie suscipere deberet, sibi posceret a domino reuelari, cuidam puerulo apparens angelus domini, est, inquit, senator quidam, Eucherius nomine, super fluuium Durentiam retrusus in specu, qui rectis omnibus que possidebat, secutus est dominum. Ad hunc ad ducendum pergite, et uobis illum pastorem constituite, quoniam a domino est. Qui cum puer senioribus diluculo retulisset, omnipotenti deo cunctis fratribus conuocatis gratias egerunt. Missoque cum clericis ad prefatum locum archidiacono, qui tunc ecclesie curam gerebat, inuenerunt eum, sicut eis dominus reuelauerat. Cumque illi archidiaconus rem propter quam uenerat

uenerat indicasset, cepit cum iuramento dicere, si uoluntarium de specu non egressurum, nec cum eo nisi ligatus duceretur iturum. Cumque diu talia repeteret, archidiaconus effracto muro spelunce eduxit eum, et iuxta quod ipse iurauerat, uinctum perduxit Lugdunum. Quem pari animo, unoque consensu, clerus et sibi eligens sacerdotem pontificali cathedra solempniter collocauit. Huius uxor Galla, in sancto habitu deo seruiens, speluncam eius ingressa, omne illic uite sue tempus in studio religionis exegit. Due ipsorum filie, quarum una Consortia, altera Tullia uocabatur, uirginitatis gloria claruerunt. In Affrica; natalis sanctorum Ruffiani, Marci, Ualerini, Honorati. Et alibi; Fecundiani, Aureliani, Marcelli: et depositio beati Otmari, episcopi et confessoris. Eodem die; sancti Eadmundi, Cantuariensis archiepiscopi.

xb. Kal. Decembris.

Ɔ. Apud Pontum; natalis sancti Gregorii, Neocesariensis episcopi et martiris. Qui magna signorum ac miraculorum gloria preeditus, inter cetera, quodam tempore in ecclesia facienda locus non sufficeret, montem precibus mouit. Rome, trans Tiberim; natalis sancti Cecili. Aureliani; depositio sancti Aniani episcopi et confessoris. Eodem die; sancti Dulech confessoris.

xiiii. Kal. Decembris.

Ɔ. Antiochiam; natalis sancti Romani. Qui temporibus Diocleciani, cum Aclepiades prefectus ecclesiam irrumpere eamque funditus conaretur euertere, ceteros Christianos ortatus est, ut ei contradicerent. Vnde eum protinus uinctum sibi exhibere iussit, et Christum constantissime confitentem, primum eculeo extendi. Deinde plumbatis grauiter et fustibus cedi. Post hec eciam nouacula acutissima maxillas eius radi fecit. Tunc ad petitionem eius puerum

rum paruulum induci precepit. Quem Romanus, Christi nomen inuocans, utrum unum an plures deos melius esset colere interrogauit, ut ex eius confessione prefectus confunditur. Cumque unum puer deum solum credendum esse dixisset, indignatus Asclepiades, catomis suspendi eum ac uerberari, et postremo eciam decollari precepit. Erat autem puero Barralas. Romanus uero rursus eculeo suspensus, unguis exaratur, ad rogam ardentem in quem precipitaretur perductus est. Sed orante eo, uenit repente imber in undas extinguit ignem. Post hec, iussit ei linguam abscidi. Quo facto, cum Christum uoce clarissima collaudaret, reclusus in carcerem, et ad extremum laqueo stragulatus est. Rome; Gelasii pape, qui sedit in episcopatu annos quatuor. Hic reuocauit Misenum episcopum, quem Felix antecessor ipsius dampnauerat, et communioni ecclesie sue restituit. Hic libros aduersum Eutichen et Nestorium composuit.

xiii. Kal. Decembris.

- A.** Rome, uia Appia; natalis sancti Maximi, presbiteri et martiris. Qui persecutione Maximini passus, positus est ad sanctum Sixtum. Apud Uiennam; sanctorum martirum, Seuerini, Exuperii, et Feliciani. Quorum corpora post multa annorum curricula, ipsis reuelantibus, inuenta et a pontifice urbis clero et populo honorifice sublata, in basilica sancti Romani, que iam dicte ciuitatis parte orientali sita est, condigno honore condita sunt. Eodem die; sancti Fausti martiris. In Cesarea; natalis sanctorum Maximi, Neofori.

xii. Kal. Decembris.

- B.** Rome; natalis sancti Ponciani pape. Qui Maximino aduersum ecclesiarum sacerdotes persecutionem commouente, cum Ypolito presbitero Sardiniam deportatur, ibique fustibus mactatus, martirium

rium consummauit. In Eraclea; natalis sanctorum Bassi, Dionisi. Eodem die; sancti Eadmundi, regis et martiris.

ii. Kal. Decembris.

C. In Italia, monasterio Euouio; natalis sancti Columbani abbatis, qui multorum cenobiorum fundator extitit monachorum, multisque uirtutibus clarus, quieuit in senectute bona. Item, natalis sanctissimi Ruphi, de quo apostolus ait ad Romanus; salutate Ruphum electum, et matrem eius et meam. In Antiochia; sanctorum, Basilei, Auxilii. Et alibi; sanctorum Demetrii, Quinciani.

x. Kal. Decembris.

D. Rome; passio sancti Cecilie uirginis. Que sponsum suum Ualerianum, et fratrem eius Tyburtium, ad credendum Christo ac martirium perduxit, et ipsa deinde martirizata est, ignem quidem superans, set ferro occisa sub Almachio urbis prefecto. In Capadocia; natalis sanctorum, Longini, Leoncii et Fausti.

ix. Kal. Decembris.

C. Rome; natalis sancti Clementis episcopi et martiris, de quo apostolus Paulus ait. Cum Clemente et ceteris cooperatoibus meis, quorum nomina sunt in libro uite. Hic quartus post beatum Petrum Rome episcopus, siquidem secundus Linus fuit, tercius Anacletus, sub persecutione Traiani martirio coronatur: et omnis eius memoria usque hodie Rome extructa ecclesia custoditur. Qui, iubente predicto Traiano, missus est in exilium, trans Pontum maris. Vbi multis ad fidem uocatis, per miracula et doctrinam eius, precipitatus est in mare, ligata ad collum eius anchora. Sed orantibus discipulis eius, recessit mare per tria milia, et inuenerunt corpus eius in archa saxeaa in templo marmoreo, angelicis

manibus preparatum, et anchoram iuxta. Eodem die, Metis ciuitate; depositio sancti Clementis, primi Metentium pontificis. Item, eodem die; natalis sancti Felicitatis martiris, matris septem filiorum martirum. Que, iubente Antonio, decollata est pro Christo.

biíi. Kal. Decembris.

- f.** Rome; natalis sancti Grisogoni martiris. Qui persecutione Diocleciani, post longa uincula et carceres pro constantissima Christi confessione tolleratos, capite cesus et in mare proiectus martirium consummauit. Eodem die; natalis sancti Crescenciani, qui erat cum Cyriaco et Largo et Smaragdo in carcere, sub persecutione Maximi, filii Maximini.

vii. Kal. Decembris.

- G.** Natalis sancti Petri Alexandri episcopi, inter precipuos egregii. Hic duodecim omnes annos in episcopatu illius urbis exegit. Quorum tres ante persecutionem, reliquos uero octo diuersis temptationum generibus duxit. Ipso die; sancte Katerine uirginis et martiris. In Hibernia; sancti confessoris Finnchua.

vi. Kal. Decembris.

- A.** Natalis sancti Lini pape. Qui post beatum Petrum primus, Romanam ecclesiam tenuit annis undecim, et martirio coronatus; sepultus est in Uaticano. Huius Lini, Paulus in epistola ad Thimotheum meminit. Apud Alexandriam; natalis sanctorum martirum, Faustini presbiteri, et Ammonii. Rome; sanctorum, Syrici et Saturnini.

b. Kal. Decembris.

- B.** Avgustuduno; depositio Amatoris episcopi. Apud Italiam; natale sanctorum martirum, Agricole et Uitalis. Quorum corpora,
cum

cum essent deposita inter sepulera Iudeorum, et populo Christiano prorsus incognita, beatus Ambrosius, ipsis sanctis martiribus reuelantibus, apud Bononiensem ciuitatem repperit. Que extracta ecclesia, cum magna fidelium leticia, et demonum penis confitentium merita martirum, sub altari deposuit. In Galliis, ciuitate Regensi; natalis sancti Maximi episcopi. Eodem die; sancti Secundi, episcopi et confessoris. Qui Longobardorum nobili genere ortus, beatum Patricium ad Hiberniam secutus, post eum primus episcopatum tenuit. Ibiq; recto morum tramite exempla illius perfecte complens, quieuit in pace.

iiii. Kal. Decembris.

- C. Natale sancti Sostenes, discipuli apostolorum. Eodem die; sancti Ruphi martyris, quem dominus Ihesus Christus, cum omni domo sua, per Grisogonum martirem lucratus est. Quem, cum omni domo sua, Dioclecianus punitum Christo martirem fecit. Eodem die; sancti Sile apostoli, qui cum beato Paulo gentibus euangelium predicauit. In Siria; natale sanctorum Trophimi, Theodoli, Eucherii, Iulii, et Eusebii.

iii. Kal. Decembris.

- D. Uigilia sancti Andree apostoli. Et Rome; sancti Saturnini martiris, et Sennis et Sisinnij, diaconorum, sub Maximiano. A quo primum inter alios dampnati ad fodiendam arenam, ad faciendas thermas Dioclecianas, deinde in carcerem diu sunt macerati, ubi multos Gentiles docentes baptizabant. Et denuo educti, uicti cathenis ac nudis pedibus, ante prefectum Laodecium, iussi sunt in eculeum leuari, et adtrahi neruis, et festibus ac scorpionibus cedi. Quibus etiam postmodum flammam ad latera iussit apponi, et depositos de eculeo, capite truncari. Eodem die, apud Tolo-

sam; natalis sancti Saturnini episcopi. Qui temporibus, Decii in capitolio eiusdem urbis a paganis tentus, eo quod ad eius presentiam omnes ipsorum dii obmutefacti, nullum sacrificantibus ex more possent dare responsum, tauro ad uictimam preparato funibus religatus est. Quo uehementius stimulado, a summa arce capitolii per omnes gradus precipitatus, capite colliso, excussoque cerebro, et omni corpore dilacerato, dignam Christo animam exalauit. Cuius nunc sacrum corpus in ecclesia condigno honore ueneratur. Ipso die, Rome; natalis sanctorum, Crisanti, Mauri, et Darie uirginis.

ii. Kal. Decembris.

- Ⓔ. In ciuitate Patras, prouintie Achaie; natalis sancti Andree apostoli, qui eciam apud Sichiam predicauit. Cuius sacra ossa, uicesimo Constantini anno imperatoris, Constantinopolim translata sunt. Rome; natalis sanctorum, Castuli, Maurilii, Centuli, Theodoli.

Kal. Decembris.

- Ⓕ. Rome; natale sanctorum, Candide, Lucii, et Marine, Amboni, Filati. Eodem die; commemoratio sanctorum martirum, Papii et Mansueti episcoporum. Qui tempore Wandalice persecutionis sub Gesirico rege Arriano, apud Affricam, pro fidei catholice defensione, candentibus ferri laminis toto corpore adusti, gloriosum agonem consummauerunt. In Affrica; Uictoris, Rogati. Item, eodem die; in ciuitate Uirdunensis; natalis sancti Agerici episcopi.

iiii. Non. Decembris.

- Ⓖ. Rome; natale sanctorum, Primi, Potentiani, Uiuiani. In Mauritania; natalis sanctorum Securini, Uictorini, Fortunati, Agnetis, Secunde.

biii.

iii. Non. Decembris.

- A. Tingi, metropoli Mauritanie Tingitane; natalis sancti Cassiani, martiris gloriosi. Qui passus est sub Aurelio Agricolaro. In Nicomedia; natalis sanctorum Merobi, Claudii, et Felicis. In Affrica; sanctorum, Magne, Iohannis, Stephani, Uictoris, Martini. Item sanctorum martyrum, Claudii, et uxoris eius Hilarie, ac filiorum, Iasonis, et Mauri, et septuaginta militum, qui omnes ad predicationem beati Crisanti crediderunt in Christo. /

ii. Non. Decembris.

- B. Commemoratio sanctorum confessorum Armogasti, Arthinimi, et Satiri. Qui apud Affricam, tempore Wandalice persecutionis, sub Gesirico rege Arriano, cum essent lucidissima membra Christi, et prauitatem Arrianorum libertate catholica frequenter arguerent, pro confessione ueritatis multa et grauia perpassi supplicia atque obprobria, cursum gloriosi certaminis impleuerunt.

Non. Decembris.

- C. In Affrica, apud Coloniam, apud Tebestinam; sancte Crispine. Qui temporibus Diocleciani et Maximiani, cum sacrificare nolisset, iussu Anulini proconsulis decollata est. Eodem die; natalis sancti Dalmacii martiris. Et alibi; Fulgentij et Amancij.

vi. Idus Decembris.

- D. Sancti Nicholai, episcopi Mirrorum Licie. In Affrica; natalis sanctorum, Zeloti, Fortunati, Hermogenis, et Rogati.

v. Id. Decembris.

- E. Commemoratio sanctarum Dionisie, Datiue, Leontie, et Emiliani medici. Qui omnes persecutione Wandalica sub Hunirico rege Arriano

Arriano apud Affricam, pro confessione fidei catholice, et ne ab Arrianis rebaptizarentur, grauissimis et innumeris suppliciis excruciat, confessorum Christi numero numerari meruerunt. Eodem die; octaue sancti Andree apostoli, Apud Sanctonas; beati Martini abbatis, discipuli Martini Turonice urbis episcopi, qui in monasterio quod ipse edificauit in pace quieuit.

vi. Id. Decembris.

- ff. Rome; natalis sancti Euticiani pape. Qui rexit ecclesia anno uno, et sub Aureliano imperatore martirio coronatus, sepultus est in cimiterio Calixti. Qui et ipse per diuersa loca, trescentos quadraginta duos martires manu sua sepeliuit. Item Rome; natalis sancti Eusebii episcopi, Urani, et Successi episcopi.

v. Idus Decembris.

- G. Natale sancte Leochadie uirginis. Qui temporibus Diocleciani et Maximiani, a prefecto Hispaniarum Datiano, apud Toletum urbem carceris custodia macerata est. In Affrica; sanctorum, Petri, Successi, Porphirii, Urbani. In Antiochia; sanctorum, Geronti, Polentie, Siluane, Ualentini.

iiii. Idus Decembris.

- A. Apud Emeritam, Hispannie ciuitatem; natalis sancte Eulalie uirginis. Que cum esset annorum tresdecim, iussu Daciani presidis, plurima tormenta perpessa, nouissime in eculeo suspensa, et exungulata, faculis ardentibus ex utroque latere appositis, hasto igne spiritum reddidit. Et cernentibus Christianis in specie columbe niuee celum petiit. Cuius sacrum corpus, per triduum, iussu presidis, pependit in ligno. Sed cui humana fuerant obsequia denegata, celestia fuerunt munera concessa. Nam nix desuper puelle corpus

corpus asperit, ut quod ex utraque parte oppositus ignis ardoris sui incendio conflagrauerat, niuali candore coopertum diuina gratia dealbaret. Sicque a Christianis reuerenter ablata, et deuotione debita sub sacro altari deposita, miraculorum gloria illustratur. Eodem die, apud prefatam urbem; passio sancte Iulie, que fuit conuiginalis beate Eulalie. Item apud Hispanniam ciuitatem; sanctorum martirum, Carpoforesi presbiteri, et Abundi diaconi. In ciuitate Aruennis; natalis sancte Agricole. Et ipsa die; passio sancti Pauli, cuius passio habetur.

iii. Id. Decembris.

B. Danielis prophete. Rome; sancti Damasi pape. Et natale sanctorum martirum, Thrasonis, Potentiani, Pretaxati. In Galliis, ciuitate Ambionis; natalis sanctorum martirum, Fusciani, Uictorici, et Gentiani. In Hispanniis; sancte Eutici, cuius gesta habentur.

ii. Id. Decembris.

C. In Alexandria; sanctorum Sammoni et Emeriti. Apud Emeritam; natalis sancte Eulalie ex depositione. Et sanctorum martirum, Ermogenis, Donati, et aliorum uiginti duo. Et in Hibernia; sancti Finniani, *episcopi et confessoris*.

Idus Decembris.

D. Apud Siracusas, Sicilie ciuitatem; natalis sancte Lucie, uirginis et martiris. Que passa est persecutione Diocleciani et Maximiani, sub Pascasio consulari. Quam cum lenones corrumpere, iubente Pascasio, uellent, nullatenus eam mouere potuerunt, nec funibus abditis aut boum paribus plurimis, resinam, feruens oleum illesa suscepit. Tandem gladio in uiscera merso percussa, nec tamen
mortua

mortua est, donec uenientibus sacerdotibus communionem corporis et sanguinis domini accepit. Rauenna; natale sanctorum, Ursiani et Leuchadii confessorum. Mediolano; inuentio sanctorum, Nazarii, Prothasii, et Celsi pueri.

xix. Kal. Ianuarii.

- Ⓔ. Apud Antiochiam; natale sanctorum martirum Eleusi, Zosimi, et Theodori. Apud Cyprum; natale sancti Spindionis episcopi, admirande beatitudinis uiri. / Lugdunis; depositio Uiatoris episcopi. Vienna; depositio sancti Lupicini episcopi. Remis; natale sancti Nichasii episcopi, qui capite truncatus est.

xxiii. Kal. Ianuarii.

- Ⓕ. Apud Affricam; sancti Aureliani episcopi et confessoris. Qui Wandalice persecutionis, cum, ex precepto Geisirici regis Arriani, ad tradendum ministeria diuina, uel libros, artarentur cuncti domini sacerdotes, ita ut idem impii Arriani etiam de ipsis palliis altaris camisia sibi et femoralia facerent, uiriliter ne sacramenta diuina traderet dimicans, extra ciuitatem singularis expelli iussus est, et ita preceptum, ut nullus eum neque in domo neque in agro dimitteret habitare. Cumque esset annorum *plus* octuaginta, in strata publica multo tempore nudis iacuit sub aere, sicque in confessione catholice ueritatis, et defensione sanctimonii cursum uite impleuit. In Babilonia, tempore Nabugodonosor regis; passio sanctorum martyrum, trium uirorum, Ananie, Azarie, et Misaelis.

xxv. Kal. Ianuarii.

- Ⓖ. Rauenna; natalis sanctorum, Ualentini, Naualis, Agricole, et Concordii. Arelato; dedicatio basilice sancti Genesisii, martiris.

xvi. Kal. Ianuarii.

- Q. In Antiochia; natalis sancti Ignatii, martiris et episcopi. Qui tertius post beatum Petrum apostolum Antiochenam rexit ecclesiam. Quique persecutione Traiani, dampnatus ad bestias, Romam uinctus mittitur, decem militibus, quos ipse in epistola sua leopardos uocat. Quique proiectus bestias, cum rugientes audires leones, ardore paciendi, ait: Frumentum Christi sum, dentibus bestiarum molar, ut panis mundus inueniar. Passus est anno undecimo Traiani. Item, beatorum martirum Ruphini et Zozimi. Item eodem die; beati Lazari, quem dominus Ihesus in euangelio resuscitasse legitur a mortuis. Et beate Marthe sororis eius, quorum uenerabilem memoriam extracta ecclesia non longe a Bethania, ubi e uicino domus fuit, conseruat.

xb. Kal. Ianuarii.

- Q. Laodicie ciuitate; natalis sanctorum Theotini, Basiliani. In Africa; sanctorum, Quinti, Simplicii, Pauli, Uictorie, Priuati. Eodem die; natalis sanctorum, Digni, et Bodegisili, Honorati, cum aliis triginta. In Hibernia; *sancti* Maigneni confessoris.

xiiii. Kal. Ianuarii.

- C. Apud Affricam; natale sancti Moysitis martiris. In Nicea, ciuitate Bithinie; natalis sancti Zosimi, Pauli, Secundi, Ciriaci. Autisiodoro; depositio beati Gregorii episcopi et confessoris.

xiii. Kal. Ianuarii.

- D. Rome; depositio sancti Zephirini episcopi. In Tracia, Gildaba; natale sancti Iuliani. Et alibi; sancti Liberati. In oriente; sancte Tecle uirginis.

xii. Kal. Ianuarii.

- Ⓔ. Natale beati Thome apostoli. Qui Parthis et Medis euangelium predicans, passus est in India. Corpus eius in ciuitate quam Syri Edissam uocant translatum, ibique digno honore conditum est. In Tuscia; natale sanctorum, Iohannis et Festi. Rome; depositio sancti Innocenti, episcopi. In Eraclea; natalis sancti Passi. Et alibi; passio sanctorum, Foce, Florii, Honorati episcopi et confessoris.

xi. Kal. Ianuarii.

- Ⓕ. Rome, uia Lauicana, inter duos lauros; natale triginta martirum, qui omnes die una coronati sunt. In ciuitate Spolitana; passio sancti Gregorii martiris. In portu Romano; sancti Aristoni, et depositio sancti Felicis episcopi. Et alibi; passio sancte Theodosie et Dimidii. Cenomannis; dedicatio basilice sancti Geruasi.

x. Kal. Ianuarii.

- Ⓖ. Rome; natalis sancte Uictorie, uirginis et martiris, Que persecutione Decii, cum esset desponsata uiro pagano Eugenio, et nec nubere uellet, nec sacrificare, post multa facta miracula, inter quos plurimas uirgines aggregauerat domino, percussa est gladio in costa a carnifice Taliario, comite templorum, rogatu sui sponsi. Deposita est autem decimo kalendarum earundem. Eodem die; natalis sancti Iohannis presbiteri, positi ad sanctum Hermen. Apud Nicomediam; sanctorum martirum uiginti quinque. Item Rome; natale sanctorum, Eugenii, Eleutherii, Urbani, Corneli, Traiani, Uictoris, Castule, et aliorum octogintorum triginta.

ix. Kal. Ianuarii.

- Ⓐ. Uigilia natalis domini. Eodem die, apud Antiochiam Syrie; natalis sanctarum uirginum quadraginta canonicarum, et aliorum duorum,

duorum, Donati, et Drisii. Rome; natalis sanctorum, Metrobii, Pauli et Zenoti.

bíí. Kal. Ianuarii.

B. Bethleem Iude; natiuitas Saluatoris domini nostri Ihesu Christi secundum carnem. Eodem die; natalis sancte Anastasie. Que tempore Diocleciáni, primo diram et immitem custodiam a uiro suo Publico perpressa. in qua tamen a Grisogono confessore multum consolata et confortata est. Deinde a prefecto Illirico in grauissima atque diutina custodia macerata est. In qua duobus mensibus refecta est celestibus escis, per sanctam Theodoten, que martirium perpressa est. Deinde nauí imposita cum ducentis uiris, et quingentis uiginti feminis, ut demergerentur in mari, perlata est ad insulas Palmarias. Vbi per manus et pedes extensa, et ligata ad palos fixos, et circa medium eius ignis accensus est, in quo martirium consummauit. Et omnes, qui cum illa uenerant, uariis interfectionibus martirium celebrarunt. Inter quos omnes unus erat, nomine Eutichianus, innocentissime nature, qui sublatis sibi, cum diues esset, omnibus facultatibus, tacuit, nichil cogitans, nichilque metuens, nisi hoc, ne facultates ac diuitias fidei perderet. Quocienscunque fuisset auditus, quotienscunque interrogatus, nichil aliud dicebat, Christum michi non tollet, etiam si capud abstulerit. Tunc Apollonia, Christiana matrona, tollens corpus beate Anastasie, exosculatis et aromatibus condiens, dignisque lintheaminibus obuoluens, intra uiridarium domus sue fabricata basilica, ut decuit martirem sepeliuit. Ipso die in cimiterio Aproniani; passio sancte Eugenie uirginis. Que tempore Gallieni imperatoris, post multa uirtutum insignia, in sacros uirginum choros, quas Christo domino aggregauerat, sub Nicecio urbis prefecto, alligata saxo et precipitata in Tyberim, mergi non potuit. Inde thermis ignitis inclusa, illesa reperta est. Nouissime in custodia gladio iugulatur,

et sublatum est corpus ab affinibus suis Christianis, et positum est non longe ab urbe, uia Latina, in predio eius proprio, ubi multorum sanctorum ipsa sepelierat membra. Constantinopolim; sancti Athanasii.

vi. Kal. Ianuarii.

C. In oppido Ierosolimitano, uia Gaphargamula; passio sancti Stephani *martyris* diaconi. Qui lapidatus a Iudeis, et a Gamalieno sancto sepultus, et postea a Luciano presbitero inuentus, et a Iohanne episcopo Ierosolimam translatus, postea ab Euodio et Alipio, uel ceteris episcopis, tunica eius transportata fuit in Africa. Vnde Augustus episcopus multa mirabilia scribit. Rome; depositio sancti Dionisii. In Antiochia; Iuliani et Marciani.

vi. Kal. Ianuarii.

D. Natalis beati Iohannis, apostoli et euangeliste, quem Ihesus amauit plurimum. Qui secundam post Neronem persecutionem mouente Domitiano, postea quam in oleum ignitum dimersus est, in Pathmos insulam religatus, uidit apocalipsin. Interfecto autem Domiciano, *et* extis eius ob nimiam crudelitatem recisis, sub imperatore Nerua rediit Ephesum. Et quia concussam, absente eo, per hereticos uidit ecclesie fidem, confestim hanc descriptam in euangelio suo uerbi dei eternitate stabiliuit. Ibique usque ad Traianum principem perseuerans, totas Asie fundauit rexitque ecclesias. Et confectus senio, sexagesimo octauo post passionem domini anno, mortuus est, et iuxta eandem urbem sepultus. Eodem die; ordinatio episcopatus sancti Iacobi fratris domini. Qui ab apostolis primus ex Iudeis Ierosolimis est episcopus ordinatus, et medio pasca martirio coronatus.

6. Kal. Januarii.

Ⓔ. Bethleem; passio sanctorum infantium et lactentium, qui sub Herodis perfidia pro Christo passi sunt. In Affrica; Castoris, Uictoris, et Rogationi.

iiii. Kal. Januarii.

Ⓕ. Dauid regis. Item, apud Relatin; natalis sancti Trophimi, episcopi et confessoris. Qui Rome a sanctis apostolis ordinatus, primus ad eandem urbem, ob Christi euangelium predicandum, directus est. Ex cuius fonte, ut beatus Zosimus scribit, tote Gallie fidei riuulos acceperunt. Rome; Felicis, et Bonefacij episcopi. In pago Axomense, Ottico monasterio; depositio sancti Ebrulfi confessoris. In Affrica; Crescentii, et Libosi episcopi. Cantuarie; passio sancti Thome, eiusdem ecclesie archiepiscopi.

iii. Kal. Januarii.

Ⓖ. Oya insula; sancti Florenti, Pauli, Stephani, Papiani, Cleti, Turonis; sancti Perpetui, episcopi et confessoris. In Alexandria; Mansueti, Securi, Donati, Honori, Polecliti, Appianis.

ii. Kal. Januarii.

Ⓐ. Rome; natalis sancti Siluestri pape, Donati, Pauli, Senonis. Passio sancti Columbe uirginis. Que superato igne, gladio cesa est sub Aureliano imperatore. Cartagine; Celestini, Saturnini.

Explicit martilogium per anni circulum.

Euangelia